SEBASTIANI FACIVTAE MELPHITANI

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS.

De natura Angelorum Oratio.

EIVSDEM

De vita, & honeſtate Clericorum.



FLORENTIAE,

In Officina Georgij Mareſcoti.

M. D. LXXVI.

SERENISSIMO D. FRANCISCO MED. MAGNO HETRVRIAE DVCI II.

Sebaſtianus Faciuta Melphitanus Sacræ Theologiæ Doctor.

S. P. D.

ET ſi mihi (Dux Sereniſſime) nihil fuit iucundius, nihil optatius, cariuſq;, quam tibi viro generoſiſſimo parere; vehemẽter tamen doleo, ſummoq; mærore cõficior, non ita, vt erat animus, & mea ergà te beneuolentia, ſatisfacere poſſe. Graue enim quæſitum grauiori indagine indiget: & eò magis, magiſq;, quod dicendi facultate mihi denegata, tanta eſt penes me latini ſermonis egeſtas, vt nunquam credam eam laudem fore me allaturum, quam omnes habuerunt, qui de huiuſmodi re ſermonem fecerunt. Et cum viuax ingenij, præſtanſq; tuæ mentis dexteritas, pulchra mihi, & periucunda ſit, ita tuæ præſtãtiæ, (cui nihil præter tuam animi magnitudi-

nem adæquatur) obtemperare ſtudeo, vt laus, quam paratam inuenire animaduerto, tibi gratiſſima ſit, & maxima. Et ſi quid quod animũ tuum alliciat mea Chloris habet, vtere ſi placet ad omnia, nam valde lætor, gratulorq;, atque gratias refero. Non enim orationis leporem, venuſtatem, atq; elegantiam expectabis, quo acies ingeniorum denſitate caligantes, ad illud idem excitare poſſem. Nec grauem ſtili ſeriem, ſed tenuitatis moderatione ſeruata, quæ circa Angelorum naturam varijs ex Auctorum ingeniis colligere potero, (diuino ſuggerente auxilio) pro meis viribus aperiam. Et quos fructus dignos tuæ celſitudini, quam omnes admirantur, debere videor, cũ oportunior dabitur tempeſtas, vberiores, præſtantiores, cumulatioreſq; recipies. Vale Decus vniuerſi. Datum Florentiæ, Pridie Idus Nouembris, 1575.

SEBASTIANI FACIVTAE MELPHITANI SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS.

De natura Angelorum Oratio.

AD FRANCISCVM MEDICES MAGNVM HETRVRIAE DVCEM II.

IN CORPOREORVM tria eſſe genera non ignoramus: Sed vnũ æternum, qui eſt Deus Optimus Maximus, cuius gratia alia duo ſunt, ſcilicet Angelus,& Anima, ambo iuſtitiæ muneribus inſignita, cum voluntate, atque poteſtate accipiendi perſeuerãtiam ab illo, cui ratione finis adhærent. Sed quoniam voluerunt,quod nõ debuerunt, bonæ voluntatis inſignia deſerentes, mala ſuperueniente verſutia eiuſdem liberæ facultatis, qua nolentes,ſummum bonum deſeruerunt, perſeuerantiam non dedit, qui rationibus Idearum in primogenito filio ſuo exiſtentibus vno intuitu omnia comprehendit. Quem antequam hæc vniuerſi machina ordiretur, quia bonitatis cõſumatæ fons in ipſo erat, ſicut fuit in ipſa æternitate,& eſt ſemper lux,vita, & veritas exiſtens; vt ab ipſo idem riuus oriretur bonitatis, longeq; proflueret, ſibi ſimilem omnibus ſuæ virtutis inſignibus prꝺitum generauit, ſibiq; conſubſtantialẽ, & coæternum in ſimilitudinem perfectam, integram

æqualitatem, ac ſummam eſſentiæ vnitatem: vnum cum patre Deum, vnumq; rerum omnium principium. Deinde genus fecit alterum in tempore, videlicet Luciferum, alioſq; ſpirituum choros, quos creauit Regni ſui miniſtros, nihil præter ſuam diuinam voluntatem operantes, vt ſuum modum, atq; ſpeciem eximia tranquillitate cuſtodientes, ſumma pacis quiete perpetuo detinerent. Et cum naturæ ſit ſimpliciſſimæ, qualis eſt Angelorum, vbi ſunt tanto amore, atq; vigoris conſtantia eſſe debere, quantum acceperunt, ſuum eſſe fida tutela circumſpectum diuinæ exiſtimationi maxime conducere ſentientes, facti ſunt æternæ hæreditatis participes. Et qui non acceperunt, quod ad gloriam contulerat, ei non adheſerunt, qui ſumme ſemper vere beatiſſimus eſt. Cuius ſane naturæ fuit Lucifer mane exoriens, qui ad tantam dilectionem ſuam virtutem, mentiſq; aciem applicuit, effectus ſuos in amorem conuerſus, ſeq; immoderate diligens, tantum eſſe bonum ſe voluit, quantum actui, quem ſummo amoris gradu diligebat, proportionari potuiſſet. Vnde beatitudinem ſibi maxime cupiens, adoptauit, aliquid exceſſiue ſine moderatione amando, tanquam delectabile ſummum, quod eſt bonum honeſtum, inquantum honeſtum, id eſt ipſa beatitudo, quam maiori conatu, atq; mentis præſtãtia, quam ſibi conueniebat, vel potuit appetere, concupiuit, vt eam ſubito naturaliter poſſideret, quo deceptus eſt, nõ gratioſe, quam non ſine tẽporis mora, & ex meritis Deus haberi voluiſſet. Et ſic appetiuit æquilitatem Dei, quæ communicationis, proprietatis, & perfectionis eſt. Nam poſſibile fuit, quod verbum Chriſti in vnitate perſonæ humanitatem aſſumeret, & quod communicaret ipſi ſuam proprietatem perſonalem, & idiomata eorum, quæ ſunt Dei, ſcilicet, quod ſimul cũ verbo illa humanitas adoretur, glorificetur, & colatur, atq; ſuper Angelos, hominesq; non ſolum iudiciariam poteſtatem, ſed etiam

 totius

totius naturę creatæ imperium, & quod eſſet creator, atque inter Deum, Angelos, & homines mediator. Et quia Chriſtus ſemper eſt minor patre, & minor tota Trinitate ſecundum humanitatem aſſumptam, quamuis ſit Deo ſemper ſimilis, cum illa humanitas ſemper cooperetur cum verbo, circa iſta miracula facienda: tamen Diabolus talem æqualitatem potuit appetere, quia appetere potuit imperium vniuerſi, totumq; illud quod Chriſtus habuit in ſua incarnatione, & aſcenſione, ſcilicet accipere vniuerſi imperium, ſedere a dextris Dei, atq; in bonis gloriæ potioribus, ſed peruerſe, & contra voluntatem Dei, qui ſolum Chriſtum ab æterno ad hoc prædeſtinauerat, vt non ſolum per vnionem perſonalem, ſed etiam per mortem, & paſſionem vniuerſi eſſet princeps, triumphator, redemptor, atq; humani generis glorificator. Nam licet Lucifer ſui caſus nō fuerit præſcius ante lapſum, nec etiam caſus hominis, incarnationis tamen myſterium, atq; exaltationis eiuſdē præcognouit, abſq; hoc quod ſciuerit paſſionis, humanæq; redemptionis opus. Diabolus enim ignorando caſum hominis, etiam myſterium paſſionis Chriſti, atq; redemptionis ignorauit. Sed Filij Dei incarnatio non fuit minus ipſi, quam homini reuelata, qui in illo ſopore incarnationem prænouit. Lucifer igitur pro Chriſto homine futuro, cui ſuper totam naturam Angelicam, omnemq; creaturam tradendum erat imperium; ſolū, atq; ſedem præparatam præuidit. Vnde occaſionem appetendi peruerſe obtinuit. Et ſic æqualitatem, quæ ſub Deo eſt, ideſt celſitudinem, quam Chriſtus in vnitate perſonæ verbi poſſidet, in potioribus patris bonis reſidens, cum vniuerſi imperio appetiuit. Nec ſolū Lucifero præſcientia fuit incarnationis, ſed omnibus Angelis lex fuit, cui falſum ſubeſſe non poteſt: qualiter Deus illam ſedem pro Chriſto homine a verbo perſonaliter aſſumēdo, præparauerat, cui etiam credendum

erat imperium vniuerſi,atq; decernebat, vt omnes Angeli, omneſq; creaturæ obedirent, & ſimul cum verbo eum adorarent. Cui legi Lucifer cum ſuis ſequacibus obedire renuens, ſedem, ſoliumq; Chriſti occupare, & vſurpare præſumpſit, ſe a diuina voluntate deuiando, quæ eſt lex æterna, in cuius conformitate omnis vera iuſtitia conſiſtit. Et ſic patet quod Lucifer ſuper omnium beatarum creaturarum ſedes conſcendere ſtatuit, vſq; ad æqualitatem Dei: vbi nulla eſt niſi ſedes Chriſti, qua celſitudine ſub Deo maior nequit intelligi, ratione vnionis. Hanc ergo celſitudinem abſq; meritis, ſed ſolã ex nobilitate naturę Diabolus attẽtauit. Quod fuit oppoſitum de Chriſto homine, qui per humilitatẽ, laborem,paſsioniſq; tormenta, illam ſedem adipiſci voluit. Dicẽte Apoſtolo. Hoc enim ſentite in vobis,quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet,non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſeipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo. Et ſic Lucifer æqualitatem, quæ eſt comunicationis appetiuit, nam æqualitatem æquiparantiæ nullo modo potuit appettere, nec conſiderare, neq; intelligere, nec etiam eſſe, cum ſit inter Deum, & aliquam creaturam hoc penitus impoſsibile, cum talis æqualitas ſit inter diuinas perſonas, quæ ſunt coæternæ,æqualitate commenſurationis. Peccauit igitur Diabolus aliquod cupiens commodum in augmentum beatitudinis, quod tunc velle non debuerat. Et ſic aliquid inordinate volens, ſuam voluntatem, extra iuſtitiæ limites, ſupraq; Dei voluntatem extendit. Quam ob rem perſeuerantiam deſerendo, non detinuit. Qui ergo ceciderunt, augmentum illud deſiderantes, quod non habebant, bonum iuſtitiæ, iuſtitia retribuente, perdiderunt. Et qui illud habebant, iuſtitia retribuente, illud idem, quia non peccauerunt, facti ſunt æternæ largitatis ſecuri. Diuinæ enim legi obedientes, ex viatoribus, fa-

ⓒi

cti ſunt comprehenſores, & beati, videntes Deum per gloriam. Qua de cauſa peccare minime poſſunt. Adhærentes enim bono, nullum velle bonum queunt, quod non habeant, ſicut deſerentes, nullum velle bonum poſſunt, quò immoderatam boni indigentiam non acquirant. Qui recedente iuſtitia ſuam voluntaté deturpantes, nihil aliud habuerunt, quam quod habebant. Quod enim ſemel acceperunt, abſente iuſtitia, nunquã dimiſerunt. Sed cui iuſtitiæ debitum remanſit, pulchra quædam ſui veſtigia relinquens, honeſtate iuſtitiæ fuiſſe exornata, aperte demonſtratur. Nam eò quod iuſtitiam laudabilior natura ſeruauit, quam habere, honeſtatis eſt, & maxime laudis, atq; pulchritudinis, naturalem habuit dignitatem. Et eò quod altera deſeruit, quam non habere, inhoneſtatis fuit, & magnæ turpitudinis, atq; dedecoris, perſonalem habuit inhoneſtatem. Et quod laudabilior natura habuit, ex dantis bonitate factum eſt, vnde iuſtitiæ munere fuit decorata. Et quod perſonalis inhoneſtas non obtinuit, ab ea perſona proceſsit, quæ deſerere voluit. Vnde ex propria culpa perſonalis inhoneſtaſtis fuit temerata veſtigiis. Et ſic ſufficienter apertum eſt, iniuſtitia nihil aliud eſſe niſi abſentia debitæ iuſtitiæ, vbi iuſtitia eſſe debet. Nec ſolũ præſumptionis fuit ſtimulus, qua propter diuini ſtipitis indoles in eius natura nõ extitit. Sed ſuapte inuidia, quia ſapiens erat, atq; omni decore perfectus, quia illam ſedem pro Chriſto viderat præparatã, inuidit, mortemq; contra Chriſtum concepit: ne ſuper omnium cęleſtium ſpirituum altitudinem humani generis natura conſcenderet. Et ne illam dignitatem, quam ipſe deſiderabat, Dei Filius poſsideret. Et ideo in ima deiectus. Cum creaſſet Deus hominem ab initio rectum, integrum, immortalem, gratuitis donis inſtructum, illicò ad eum tentandum, decipiendumq; acceſsit, putans incarnationis impedire myſterium. Ne Chriſtus ſecundum carnem

ex Adam naſciturus, vltra Angelorum omnium dignitatem eleuandus, in æterni Patris Throno ſociaretur. Et ne Adam cum ſuis poſteris illius gloriæ fructus, quos ipſe cum ſequacibus perdiderat, poſsiderent. Infelix homo, qui dignitatem, in qua conditus erat, ſtatumq; amplisſimum, in quo locatus fuerat, amiſit. Mortiſque reus effectus, quod conſtans, quod bonum, quod erat rationi conſentaneum poſsidere, & quod eius decori, dignitatiq; congruebat, omittens, latum perpetrandi campum ſceleris cuiuſcunq; licentiam exhibuit. Heu quot impia bella, quantæ calamitates, & quot incomoda mortales inuaſerunt. Corpus illud phyſicum contrariis æſtuat humoribus, animus diuerſis, ſecumq; aduerſis pugnat affectibus, mens noſtra rapitur, & contrariis opinionibus aſſentit. Heu qualem cladem feralis beſtiæ prælium humano generi abduxit; immortalitatem abſtulit, iuſtitiam deleuit, ſapientiam ſubſtulit, libertatem ademit, omneſq; animæ vires conſumpſit. Pugnarunt inter ſe Angeli, vt in eorum certamine noſtra oriretur militia, in militia caſus, in caſu redemptio, in redemptione pietas, atq; iuſtitia, & in his erga Deũ amor, in amore victoria, in victoria præmiũ, in præmio quies, in quiete fœlicitas. Noua profecto rerum commutatio, vt in bello pax quæratur, in pace bellum, in morte vita, in vita mors, in ſeruitute libertas, in libertate ſeruitus, & vt breuiter concludam, in Demonibus exercitium, & in Angelis experiatur auxilium. Nec ſolum Chriſto mortem machinatus, inuidit, ne ſupra omnem cœli militiam, in Dei patris reciperetur aſſeſſu; ſed in Dei verbo genus humanum in parem gloriam profecturum præuidens, iniquitatem meditatus in cubili ſuo, aciem ſuæ mentis erexit, talia cogitando. Non licet (inquit) infirmiores, inferioreſq; natura, mecum eſſe æquales in regno cœleſti. Et quos dedignatus eſt tenere ſocios, molitus eſt habere ſubiectos. Aſcendam (dixit) in cœlum, & exal-

& exaltabo ſolium meum, & ero ſimilis altiſsimo. Et ſicut ille intellectus incomprehenſibilis, illa veritas incommutabilis ratione perpetua, ſapientia ſempiterna, omnes Angelorum turmas gubernaret, ſic etiam ipſe in excelſo ſederet, regeretq; genus humanum. Et ſic præeſſe multitudini Angelorum deſiderauit, non ſecundum naturalem ordinem; ſed inquantum quod alij per eius gratiam beatitudinem conſequerentur, quam ipſe propria conſequi volebat natura. Qui abſq; gratia gratum faciente creatus, ad propria ſe conuertit naturalia; ſecundum proprias vires, & dona gratuita ſuæ naturæ intellectualis intrepide decertando. Et ſicut boni Deo ſe obtulerunt, gratiamq; receperunt, ita mali impedimentum poſuerunt, gratiamq; minime receperunt: bonoſq; attentantes, prælium in cęlo terribile fecerunt. Et ſicut boni confirmati fuerunt in gratia, ita mali ceciderũt obſtinati in culpa. Quod bellum nempe reale fuit, quod eſſe ſolet inter appetitum ſenſitiuum, & intellectiuum, inclinantes ſe ad oppoſita, vt ille vult comedere, & iſte ieiunare, caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & econtra; & quod eſt inter intellectum, & intellectum, quando ratio indicat aliquid faciendum, voluntate ipſa renuente; & eſt inter voluntatem, & voluntatem diuerſorum, non vnius ad ſe, vt iſte vult vnum, & ille aliud; & ſicut eſt inter intellectum, & intellectũ ex contrariis opinionibus, per rationes oppoſitas, ſicut iſtius intellectus indicat vnam propoſitionem eſſe verã, & illius falſam. Reale igitur trucidarunt bellum, cum iuxta tria, quæ in natura eorum intellectuali reperiebantur, pugnarent. Sicut per rationem electi, & reprobi contraria ſentiebant, per voluntatem ad contraria afficiebantur, per facultatem vero ad oppoſita nitebantur. Et ſicut Michael Angelus de bono ſentiebat, & in bono cum aliis nitebatur, aduerſus malos decertabant. Ita econtra Lucifer malum ſentiens, maloq; adnixus, alios

ad mala trahebat. Et ſicut boni pręcedentibus meritis beatitudinis participes fieri deſiderabāt, quia intenſum amoris actum erga Deum habebant, quem forte nullus homo ſecundum comunem legem habere poſſet, quapropter intenſum meritum habuerunt. Cum plus valeat vnus actus intenſus, quam mille remiſſi, & vnum meritum intenſum, quam infinita remiſſa. Ita mali ſine meritis, ſed ſolum ex nobilitate naturæ. Et ſicut intellectus bonorum indicabat beatitudinem eſſe appetendam amore amicitiæ, & eo modo quo Deus ipſe volebat, ita malorum indicabat oppoſitum, ſcilicet quod eſſet appetenda amore concupiſcentiæ, quaſi ex ſe illam habere digni eſſent. Vnde Lucifer primò nobilitatem ſuæ naturæ ſuper omnes alias creaturas conſiderauit, & ſic non ſine delectatione ſeipſum exarſit, & vniuerſi imperium appetiuit. Exinde quia nouit Regiam Chriſto præparatam, illam contra Dei voluntatem appetiuit: ex qua ſuperbia, odium, & inuidiam contra Chriſtum conceptus, facta coniuratione cum aliis, in Dei contemptum eius Regiam vſurpare decreuit. Et ſic eius peccatum fuit conſumatum, incipiendo ab amore ſui, vſq; ad contemptum Dei. Michael autem cum cæteris inceperunt ab amore Dei, vſq; ad ſui cōtemptum, vel a ſui contemptu, vſq; ad amorem Dei, obedientes diuinæ voluntati. Vnde ſequitur quod Diaboli peccatum incepit a ſuperbia, quæ eſt initium, & radix omnis peccati, & in inuidiam, & odium contra Chriſtum terminatum eſt. Qui nec ſuum reatum, nec culpam cognoſcens, inuidia, & odio contra Chriſtum ſemper rumpitur, ſemperq; manet in eadem voluntate peccandi ex indelebili militiæ morbo. Maximeq; illam celſitudinem imperij maieſtate ab alio poſsideri proſpiciens, quam ipſe deſiderauit oppetere. Ideo naturam decepit humanam, ne in æternæ maieſtatis gloriam ſe reciperet, atq; ideo quotidie homines decipit, ne cęlorum

faſtigia

faſtigia penetrati, illa fruitione, vitæq; ſimplicitate, atq; animi ſalubrioris puritate gauderent, quam ipſe cũ ſuis per ſuperbiam, atq; ingratitudinem amiſerat. Et quia in illo dominandi appetitu remanſit, vt ab hominibus adoraretur, deteſtabiles idolatriæ ritus introduxit, ſemperq; nititur homines decipere, vt pęnarum ſibi ſocios eſſe faciat, atq; Infernalis imperij ſeruos. Et ſic quotidie, ac iugiter parit iniquitatem, quam concepit, quando inexcogitabili mẽtis excellentia dicebat, Deus ego ſum, quia pulcherrimus erat, atq; omni decore inſignis: in cathedra ſedere volo, & cęli tenere imperium. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſedebo in lateribus Aquilonis. Ambiebat aſcendere, & ad dexterã ſedentis in Throno ſe recipere, vt ab omnibus adoraretur Angelis. O radix ſuperbiæ execrabilis, quæ Angelos decepiſti, ex Angelis Demonia faciens. Quantò magis homines diſſipas, atq; deſtruis, qui ob imperitiam ſuperbiæ amarum lumen accendunt? Quantum enim ſuperbia in altum extollitur, tantum propter iuſtitiæ miniſterium in ima inclinatur, profundiuſq; ſe erigente, deprimitur. Dum enim altiora indagamus, quantum ſubtilius ſe ſupra mẽs eleuatur, tantum humilitate, qua nihil eſt iucundius, intellectus perſpicuitatem deprimere debemus. Complures Angeli ſe turpitudine contaminarunt imperij cupiditate. Qua propter neſciuit pietatis iura regnandi præſumptio, qua nihil eſt deteſtabilius, nihilq; Angelis indignius. Cupiditas omnis contrahenda, ſedandaq; erat, vt appetitus rationi obediens, nihil temere, & inconſiderate ageret; & ſic eluceret, non ſine tranquillitate, & moderatione Luciferi conſtantia, Qui plenus ſapientia inenarrabili, eloquia ſuæ ſapientię ad vniuerſam Angelorum multitudinem effudit, vt ſibi crederent, quia Deus eſſet. Sed Deus Archangelum ſuſcitauit, qui interpretatur, quis ſicut Deus noſter? Quæ verba reſiſtendo Lu-

fero

ciſero dicenti, Deus ego ſum; dixiſſe perhibetur. Qui magna Angelorum caterua, Dei bonitate confiſus, in Luciferi irrupit exercitum. Quibus certamina interſe cogentibus, armiſq; ſuæ naturæ iaculantibus, Michael cum ſua acie victor effectus, Luciferū de altiſſimo montis cacumine in hoc mediæ regionis aer eiecit. Qui ex bono, arbitrij libertate, contrarium ſibi nomen aſcripſit. Quem de vtroq; gradu ſequentes, maiores, ſcilicet, & minores, in hoc aere caliginoſo immerſi, cum ipſo corruerunt; viceſq; alternantes, Inferni clauſtra quotidie penetrant, vt Luciferum ibi relegatum concomitentur. Qui cum homine victo, Chriſtum tentare opus accepiſſet, a Chriſto victus, in ima detruſus, nigra fuligine tinctus eſt. Vnde liuor, de cuius fonte omnia mala proueniunt, propter malitiam, vitijq; naturam, excuſationem non habet in Demonibus, vt veniam conſequantur. Cuius ſtatus Deus non eſt cauſa in conſeruando a principio, ſed gratiam non impartiendo, ſic enim dicitur aliquos indurare. Et quoniam poteſtas volendi bona fuit, donumq; Dei ſpeciale, & ipſum velle fuit bonū, dum iuſte voluit, dum autem iniuſte voluit, factum eſt malum. Et tamen vt diui Anſelmi vtar ſententia, a Deo fuit, a quo eſt omne quod aliquid eſt. Non enim ſolum quod Deus ſponte impartitur, aliquis habet, ſed quod iniuſte ſibi aſſumit, Deo permittente. Et ſicut Deus dicitur facere, quod permittit fieri, ita dicitur dare, quod permittit rapi. Et ſic Angeli male vſi poteſtate illa prima volendi, ita bonum deuitantes malum eligunt, quaſi non valeant non eligere, obſtinati enim bene velle nō poſſunt, nec Deo propter eorum culpam reconciliari. Sicut enim homo non potuit reconciliari, niſi per hominem Deum, qui mortis tormenta ſubiuit, cuius iuſtitia tantam habuit efficaciam, quod Deo reſtituit, quæ per peccatum primus homo perdiderat. Ita Angeli ſaluari non poſſunt, niſi per quendam alium Angelum,

qui

qui mori poſsit, cuius iuſtitia Deo exhibeatur, quod peccata aliorum abſtulerunt. Et ſicut homo per alium hominem releuari non debuit, ſed per Chriſtum Deum, & hominem, ita Angelus per Angelum ſaluari nõ poteſt. Angeli enim natura non eſt ab aliquo primæuo Angelo, ſicut natura hominis, a primo homine. Et ſicut in homine per hominem hoc non eſt factum, ſed per Deũ, & hominem; ſic in Angelis per Angelum hoc fieri non debet. Et ſicut ceciderunt nullo perſuadente, ſic nullo adiuuante reſurgere debent; quod eſt naturæ Angelicę impoſsibile. Vbi eſt aduertendum, nos non dicere merita paſsionis Chriſti tam hominibus, quam Angelis non præualere. Sed quoniam Angelorũ reuelationi immutabilis ratio repugnat. Vnde trahitur eorum impoſsibilitas Deo adhærendi. Namq; cum ſit impoſsibile eos bene velle, & recipere gratiã, impoſsibile eſt Deum ſibi dare gratiã. Quę impoſsibilitas ex parte ordinatę potentiæ emanat, non ex parte abſolutæ, cum ſint capaces gratiæ, & Deus dare poſsit gratiam. Et hæc eſt illa ratio, quæ repugnare videtur eorum reuelationi. Nam; cum potentia Dei ordinata in agendo ſit conformis legibus prædeterminatis a diuina voluntate, in beatificando, vel puniendo rationalem creaturam: vt vbicunq; ceciderit lignum ibi erit. Ideo impoſsibile eſt eos bene velle, cum certum ſit Deum de ſua potentia ordinata, nunquam eis dare gratiam. Quæ lex dicitur eſſe de exiſtente in termino, non in via, nam cũ ſint extra ſtatum viæ in termino pœnitere non poſſunt, cum pœnitere ſit via pertingendi ad terminũ. Sicut enim homo per mortẽ ponitur extra ſtatũ vię. Sic etiã Demones per lapſum remãſerũt in termino. Quod. n. hominibus dicitur mors. Angelis dicitur caſus, ad quẽ vſq; tempus probationis extẽdebatur. Vel ideo qm̃ eorũ intellectus immobiliter ſe hẽt ad oĩa, quæ naturaliter cognoſcit, & volũtas proportionetur intellectui, ſequitur eorũ volun-

tatem,circa ea quæ ad ordinem naturæ pertinent,naturaliter immobilem eſſe. Veruntamen reſpectu motus ſupernaturalis in potentia eſſe proſpicitur, vt de gradu naturæ ipſorum moueantur in id, quod eſt ſupra naturam, per conuerſionem, ſiue auerſionem. Et omne quod aduenit alicui, ſecundum modum ſuæ naturæ aduenit. Angeli reſpectu ſupernaturalis boni in cõuerſione, ſiue in auerſione immobiliter perſeuerant. Et hóc eſt ex parte extrinſeca in bono vel in malo poſt primam electionem: tunc enim in eis finitur ſtatus viatoris. Et ſi in nobis ex cauſa intrinſeca vel extrinſeca libera arbitrij facultas mutatur; ex intrinſeca, cum aliquid alicui prius erat incognitum,quod poſtea fit cognitum;vel propter ipſum appetitum bene diſpoſitum per paſsioné, vel habitum,vt tendat in aliquod ſibi conueniens: quibus ſcilicet paſsione, vel habitu ceſſantibus, cõueuiens non eſt. Ex extrinſeca autem cum de malo in bonum æternus Deus voluntatem hominis per gratiam immutat. Verum hęc duplex cauſa ceſſat in Angelis facta primæ electionis opera. Qui præcipue in his quę ad ordinem naturæ pertinent,immutabiliter ſe habent,cum actu poſsideant omnium notitiam, quæ naturaliter ſcire poſſunt. Vnde non pertinet ad rationem diuinæ ſapientię, vt Diui Thomæ eſt ſententia, vt vlterius Demonibus gratia infundatur, per quam reuocétur a malo primæ auerſionis, in qua immobiliter perſeuerant. Et ideo quamuis diuerſa eligere poſsint, liberi arbitrij facultate, in omni tamen eorum electione peccant, via primæ electionis permanente. Et non ſolum per ſeipſos reſurgere nequeunt, ſed ſecundum ſuæ naturæ modum eis competit, vt immobiliter ei inhæreant, quod per propriam voluntatem prius elegerunt. Quod non ſic ſe habet de hominis voluntate, nam cum voluntas hominis inter voluntatem Dei,& Diaboli,ratione conſultationis,electioniſq; medium teneat, ita eſt mobilis

poſt

poſt primæ electionis opus,quod retractare poteſt quod elegit,& eligere oppoſitum,ſiue bonũ, ſiue malum ſit: cum tota hominis vita ſit via vſq; ad mortis terminum. Voluntas autem Dei eſt omnino immutabilis in ſua electione, cum non indigeat conſultatione, eò quod ſua duratio ſit interminabilis, totaq; ſimul, qui ſic omnia videt, quod ſimul omnia prævidet, vnde peccare non poteſt. Sed quoniam voluntas Diaboli non elegit ſine prævia conſultatione, ideo per totam conſultationis moram, dum fuit viator in ſua electione errare potuit, ſecundum quod fuit mutabilis ad vtrumlibet; ſed poſtquam ſemel elegit in ſua electione, mãſit immutabilis. Quamobrem eorum peccatũ irremediabile, & irremiſſibile dicitur,cum ſit eis irreuocabile, eò quod in vię termino peccauerunt, nec quaſi malum culpæ ſuum peccatum refugere valent, cum hoc pertineat ad liberi arbitrij mutationem. Sed libera Demonis facultas quantum ad ſua naturalia, non eſt naturaliter vertibilis, ſed ſolum quantum ad ſupernaturalia,conuertendo, aut ſe auertendo, quod cum fecerint, immobiliter agunt, & aliud velle non poſſunt. Nec propter hoc mali dicuntur. Namq; cum incorporei ſint, ſubſtantiæq; intellectuales, nullo modo naturaliter mali eſſe poſſunt, ſed ſola voluntate. Vnde eſt animaduerſione dignũ, quod appetitus inclinatio quędam in appetibile dicitur, & ſicut appetitus naturalis formam cõſequitur naturalem, ita appetitus ſenſitiuus,ſeu rationalis, ſiue intellectualis formam ſequitur apprehenſam. Non enim eſt niſi boni apprehenſi per ſenſum, ſiue per intellectum. Non ergo poteſt malum in appetitu accidere, ex hoc quod non conueniat cum apprehenſione, quam ſequitur: ſed eò quod diſcordat ab aliquo ſuperiori dirigente,ſemper enim quod apprehenſio non dirigitur ab aliquo primo regimine, in tali appetitu non poteſt eſſe malum;& hoc in apprehenſione brutorum reperitur,quæ carent regu-

la ſuperiori operante, qua dirigi debeant, qua cauſa per ſe exiſtente in eorum appetitu malum eſſe non poteſt. Similiter etiam & in intellectu diuino, qui non habet ſuperiora dirigentia, quibus dirigatur, eius appetitui, ſiue voluntati non ineſt malum. Hominem vero duplex appetitus diuino regimine dirigendus conſequitur: ſenſitiua cognitio per rationem directa, rationiſq; cognitio, ſapientia diuina imperante. Quando autem apprehenſio ſenſitiua ſecundum rationem ſuperiorem dirigentem, non regulatur, humanaq; ratio ſecundum leges diuinas non dirigitur, in eius appetitu accidit eſſe malum. In ſubſtantiis vero ſeparatis vna cognitio eſt intellectualis, ſecundum lumen diuinæ gubernationis dirigenda, quæ dum non ſequuntur ordinem diuinę ſapientiæ, voluntate malę efficiuntur. Quando igitur Demones peccauerunt, voluntate deficiente peccauerunt, qui voluntatis defectus, eorum peccatum a Diuo Thoma nuncupatur. Qui ſic conditi erant, vt quicquid pertineret ad naturalem eorum perfectionem, ſtatim a principio ſuæ creationis habuerint, in potentia ad bona ſupernaturalia ſuſcipienda, quæ per Dei gratiam conſequi poterant, ſi ſtetiſſent. Sed quoniam bona appetendo ſibi conuenientia, modum ſuum cum immoderātia exceſſerunt; eorum appetitus a ſuperioris regulæ directione, conuenientiumq; ſibi exceſſus, ſe auertit, & ſic defecit ab eius ordinis apprehenſione, non quod aliquod falſum exiſtimauerit; defectus enim intellectus, rationis, & voluntatis in peccato proportionabiliter ſeſe concomitantur, nec eorum intellectui ineſt talis defectus, quoniam non appetit malum, ſed bonum ſibi conueniens, vt inferius patebit. Sed ſi ſciuit ſe velle nō debere quod iniuſte voluit; pœnam præſcire non debuit, ſed quamuis potuit intelligere, vt eius rationalitas expoſcebat, quia non impune peccaret, comprehendere tamen nequiuit, propter incomprehenſibilia Dei iudi-

cia, & præſertim propter eius bonitatem, iuſtitiæq; flagrantiam, qua frui deberet, & propter opus maximum ſine aliqua imperfectione permanſurum. Qua de re ſi pœnam ſciuit, ſui experimento ſciuit, perſeuerantiæ nõ calcato veſtigio, ad pœnam cui ſcientia reſtitit. Quod alter attendens alterius didicit exemplo, cui ſcientia ex perſeuerantia fuit comparata. Itaq;, qui mala voluntate abiit, ad iuſtitiam non redibit, & quod deſeruit, minime recuperabit, propter pœnam peccati vituperabilem. Et qui bona permanſit voluntate, amplius abire non poteſt, nec iuſtitiam deſerere, propter pręmiũ iuſtitiæ laudabile, ſine contrarietate derelictum. Sicut enim dicimus Deum non poſſe aliquod ſibi contrarium, quoniã beatitudo, & iuſtitia non eſt ſibi contraria, & ita omnipotens in ſua beatitudine, ſimpliciq; bono eſt, vt nulla res poſſit, quæ noceat ſummo bono. Ita Angelus, qui nõ vult niſi beatitudinem, non poteſt aliud velle niſi beatitudinem, ſicut enim nulla voluntate adhuc data nihil poterat ſe velle, ita ſola voluntate beatitudinis accepta nullam aliam a ſe poteſt habere voluntatem. Namque ſi vult aliquid propter beatitudinem, non aliud vult quam beatitudinem, & ſi putat aliquid prodeſſe ad beatitudinem, non poteſt aliud velle, niſi beatitudinem. Quapropter ſe mouere non poteſt de velle, ad non velle beatitudinem, ſed potius ad magis velle. Ergo tanto magis dicimus velle beatitudinem, quanto maiorem aliquis illam putaret. Si enim non vellet, vellet aliud, propter quod meliorem nollet, ſed aliud velle non poteſt, ſicut diximus. Lucifer igitur voluit eſſe beatus, quantò altius hoc eſſe poſſe cognouit. Et ſic Deo ſimilis eſſe voluit, quia quod non conueniebat habere, ſe poſſe velle in prouinciam accepit. Et ſic non potuit eſſe beatus, quoniam voluit, quod nec potuit, nec eſſe debuit. Sed quare voluit quod non debuit, nulla cauſa præcedente hanc voluntatem, niſi quia velle potuit?

Sed qui voluit, & iuſte voluit, in illo vtramq; voluntatem Deus conuenire fecit. Addita enim iuſtitia, ſic téperauit beatitudinis voluntatem, quod reſecauit voluntatis exceſſum, excedendi non ablata poteſtate. Nam qui iuſte voluit, modum excedere potuit, ſed quia noluit, beatitudinis voluntatem habere debuit. Et ſicut qui iuſtitiam propter immoderatam voluntatem deſeruit, ita indigens factus eſt, vt ad voluntatem iuſtitiæ per ſe redire non poſsit. Si enim antequam daretur, conditione naturæ deuenire non potuit, nunc autem merito culpæ, iuſtitiæ voluntatem habere non debet. Ita qui tenuit propter voluntatis moderantiam, nunquam indigere debet, quia ſicut ille deſerendo, ſe fecit iniuſtum, ita hic tenendo, ſe fecit perpetuum æternæ iuſtitiæ ſectatorem. Cui iuſtitiæ non poteſt aliquod eſſe contrarium, ſeruata iuſtitię perſeuerantia, qua eſt adeò perfectus, vt non videat, quid plus velle poſſit. Et ſic omnes, qui perſtiterunt, ita gratia cooperante confirmati ſunt, vt peccare nequeant. Et ita malum fugientes, bonum eligunt, quaſi illud non poſſint non eligere. In principio namq; ſuæ ſubſiſtentiæ eſſentiam ſimplicẽ, atq; indiuiſibilem, diſcretionemq; perſonalem, atq; per rationem naturaliter iniunctam, intellectum, memoriam, & voluntatem, liberumq; voluntatis arbitrium habuerunt, atq; æque liberius poſt perſeuerantię munus, cum eadem libertate remanſerunt. Boni, & innocentes cum aliis creati, haud ſine boni, maliq; cognitione, ſicut poterant ad vtrumq; ſuam deflectere voluntatem, declinare a rectitudine actus, in agendoq; deficere, atq; recti limites tranſire noluerunt. Quorum nouem ſunt ordines, & tres Hyerarchiæ, quarum prima ſuperior ſapientia perſpicax maiora gratiarum munera habuit, media minus perſpicax, æquo moderamine cuncta ordinat. Infima vero, ſicut omnibus non vigor vnus, ſed differens, minori donorum largitate contenta, inde mutare

nequit. Et quidam immediate operantur, quaſi curules, ſiue aſſeſſores alicuius Regiæ maieſtatis, & hoc reſpectu Dei, primæ Hyerarchię competit. Quam ſupra Virgo beatiſſima non ſine inſigni decore collocata fuit. Quæ ſicut omnes Hyerarchias plenitudine gratiæ, & animi pulchritudinę excelſit, loco excedere debuit, vt illius gratiæ, atq; gloriæ, atq; præmij eſſentialis particeps magis cæteris frueretur. Sed aliis electis pro diuerſitate meritorum, ſuperiores, mediæ, & inferiores, diſtinctaq; domicilia, atq; ſedes pro conuerſationis congruetate deputantur. Quidam vero ad alicuius regni regimina in comuni officia habent, vt Principes militię, Regaliſq; curiæ, & his ſimiles ſunt ordines ſecundæ Hyerarchiæ. Sed aliqui ad determinatam regni partẽ præponuntur rectores, vt prępoſiti, & his tertiæ Hyerarchiæ chorus aſſimilatuṛ. Itaq; ſpecialia quædam ſingulorum ſunt, vt tamen ſint comunia omnium. Et quod in ſe vnuſquiſq; in parte habet, hoc in alio ordine totum poſſidet. Qui ſicut in aliquo munere gratię inter ſe aſſimilantur, ſic etiam in datorum naturalium munere conueniunt. Et licet omnes iſtæ Hierarchiæ inceſſabili voce dent Deo laudem, tamen prima ad confeſſionem, & laudem Dei ſpecialiter dedicata eſt. Secunda verò ad decorem, & regimen totius vniuerſi in generali. Tertia autem ad regimina particularia partiũ vniuerſi. Ordo enim Virtutum ad mouendum cœlos, & elementa, & reſiſtendum aereis poteſtatibus, ne lædant elementa, dedicatur. Sicut Archangeli ad cuſtodiam regnorum, & ciuitatum. Et Angeli ad cuſtodiam hominum. Sic prima ad laudem Dei: ſecunda ad decorem Dei, & vniuerſi: & tertia ad illuminandum mundum per cœlorum lationem, & aſtrorum, & ad illuminandos particulares homines. Qui ſicut impreſſit in mentibus Angelorum ſpecies omnium inferiorum ad ſcientiam artificialem eorum, & in cœlis, & aſtris

virtutes actiuas ad inferiorum generationem, & in materia phyſica rationes ſeminales paſſiuas. Ita etiam poſuit Angelos totius creaturę cuſtodes, vt regerēt omnia inferiora ad nutum primæ cauſæ totaliter immobilis. In prima igitur Hyerarchia ſunt Seraphin charitatis amore ardentes, qui quoniam arctiſſimo coniunguntur gradu amoris, quo ſubtilius claritatem viſionis æternę intuentur, eò validius amore charitatis ardeſcunt. Deinde Cherubin ſcientia cęteris eminentiores, poſtmodum Throni tanta diuinitatis gratia repleti, vt in eis rerum opifex reſidens, iuſtitiam decernat. In ſecunda Hyerarchia Dominationum cætus, qui inter Principatuum, atq; poteſtatum agmina miris potentiæ viribus pręeminent. Reſiſtenteſq; Lucifero magno conatu inualuerunt. Quos ſequuntur Virtutum chori ſigna, & prodigia electis frequentantes, qui nō tantum ad humana ſuis actionibus, ſed etiam ad naturalia ſe accomodare ſolent. Qui tam & ſi agricolarum extrinſecus adhibito cultu ad illa creanda, Dei virtus interius incrementa præſtet, per congruas tamen elementorum temperies ingignēdis rebus latenter operantur. Alter enim eſt, qui plantat, alter qui rigat, alter qui incrementum dat Deus. Quibus immediate coniunguntur Poteſtatum cunei in hoc opus præualidum eorum ditioni aduerſas virtutes ſubiectas, corda hominū opprimere tentantes, refrenant, arcentq; ; quorum actio ad homines, Demoneſq;, ſenſu viuaces, ſubtilitate naturæ, ingeniiq; gaudentes, experientia temporum, ſupernorumq; ſpirituum reuelatione pollentes, ſe extendit. In tertia Hyerarchia inferiores ſunt Principatus, qui ſibi ſubiectis, quæ ſunt explenda circa diuina miniſteria diſponentes, totam ſuper ſpirituum multitudinem operantur. Sunt quoq; Archangeli maiora nuntiantes, quaſi Principes Angelorum habēt aliquid cōmune cū vtriſq;. Vltimo Angeli ad minora nuntianda electi. Quoniam

corum

eorũm virtus eſt finita, determinataq; (ſicut aliorum reſpectu virtutis agentis infinite operantis, ac influentis ſimul in omnibus) ita applicatur vni loco, in quo operatur, vt pro tunc alteri applicari non poſsit. Et vbicunq; reperiuntur, a diuina contemplatione non recedunt. Qui omnes in cœlo Empyreo numero infiniti ſimul cum natura cęli corporea creati. Quidam Nuntij, quidam ſummi Nuntij, vt ſunt quinq; ordinum inferiores ad diuerſa miniſteria peragenda, ad humanaq; ſolatia a Domino, vel a maioribus Angelis miſsi, ſemper Deo aſsiſtunt. Namque eorum natura, & ſi ſit circumſcripta, Dei tamen natura circumſcripta non eſt. Itaq; a Deo miſsi ante ipſum, & a quolibet miſsi, intra ipſum ſunt. Et ſi agmina ſublimioris virtutis non mittuntur, quia Deo intus in aliquo ſunt miniſterio, adminiſtratorij ſpiritus dicuntur, diuinas ſcientias a Deo ſuſceptas, inferioribus comunicantes, eos ad ſuperna contemplanda adducunt, quare ab intimis non recedunt. Nam qui præeminent, exterioris miniſterij opus nõ curant. Quorum nomen officij eſt, non naturæ, cum ſemper ſint ſpiritus, & non ſemper Angeli dicantur. Qui quandoq; mittuntur locum, vbi, modum, omniaq; noua acquirentes, nunquam illo frui deſinunt, qui actum fruitionis in eorum intellectu exhibuit. Et cum intellectiuæ viſionis nobilitas ſit ex nobilitate intellecti, rationaliſq; creaturę beatitudo in intellectus perfectisſima viſione conſiſtat. Quilibet intellectus creatus, poſtquã per intelligibile lumẽ ſupra naturale, quod eſt lumen glorię, (vt dicitur in pſalmo, in lumine tuo videbimus lumen) fit in vltima diſpoſitione, vt coniugatur eſſentię diuinę, vt formæ intelligibili, videt Deum per eſſentiam: aliter beatitudo non eſſet Deus, qui immediate omnia condidit, omniaq; excedit, formam qua videbitur, id eſt eſſentiam ſuam nõ excedendo, ſed aliquid ſub Deo, quod eſt a fide catholica alienum. Qui ergo ſunt in patria,

per eſſentiam vident illum, qui omnia ſuauiter, ordinateq; diſpoſuit: cum eſſentia diuina intellectui quodammodo vniatur vt forma, ad quam cognoſcendā, non oportet vt aliqua eius ſimilitudine informetur, qua mediante cognoſcat; talis enim cognitio non eſſet ipſius Dei, ſed cuiuſdam ſimilitudinis refulgentis illius lucis æternæ, & increatæ. Ex intelligente enim, & intelligibili aliquo modo requiritur fieri vnum in intelligendo, bene formata diſpoſitione talis formæ receptiuum perfectibile faciente. Et ſic intellectus dum intelligeret, eſſentia diuina per ſeipſam intelligeretur. Quod exemplo Cōmentatoris oſtenditur. Quandoq; in aliquo receptibili duo reperiuntur, quorum alterum eſt altero perfectius, proportio perfectioris ad minus perfectum, eſt ſicut proportio formę ad ſuum perfectibile, ſicut lux eſt perfectio coloris, quando ambo in Diaphano recipiuntur. Et ideo cum intellectus creatus, qui ineſt ſubſtantiæ creatæ ſit imperfectior diuina eſſentia in eo exiſtente, & cum eſſentia diuina ſit actus purus, habeatq; eſſe diſtinctum omnino ab intellectu, comparabitur diuina eſſentia ad intellectum, vt forma in intelligendo. Et ſic eſt alia intelligendi ratio de viſione viæ, qua intellectus viatoris videt Deum per aliquam formam, quę cum deficiat a repreſentatione diuinæ eſſentiæ, per eam diuina eſſentia videri non poteſt, ſed tantum cognoſcitur, quod Deus eſt ſuper illud, quod de ipſo intellectus repreſentatur, quare illud quod eſt, remanet occultum. Itaq; non videmus de Deo, quid eſt, ſed quid non eſt, diuina eſſentia ſufficienter repræſentāte ſeipſam. Quando autem intellectui cōiungetur vt forma, de ipſo Deo, non ſolum quid non eſt, ſed etiam quid eſt videbitur. Dicente Apoſtolo. Videmus nunc per ſpeculū in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Sicut enim nomine ſpeculi imago, ita nomine ænigmatis obſcura ſimilitudo deſignatur. Nos qui ſumus imago Dei, cuius con-

ſiderationé aliqualiter per hanc ſuam imaginem, quæ eſt anima noſtra, cognoſcimus. Eodem affirmante. Inuiſibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Quocunq; enim ſe verterit anima, ſi intente exteriora conſpiciet, per ipſa eadem ad interiora reuocabitur. Viæ nempe ad Deum, opera ſunt creata a Deo, quæ dum facta proſpectamus, creatoris excellentiam, non ſine omnipotentia, admiramur. Et quoniam de creatoris inuiſibilibus per viſibilia rationalis creatura cecidit corruendo, ad inuiſibilia, viſibilibus innixa, reuertetur amando. Eodemq; gradu quo infima penetrauit, ſumma deſerendo, aſcendet ad ſublimia, ima relinquendo, virtute operante interius primi conditoris, qui miro modo ipſis formis exterioribus, vt interiora ſequamur, ad quę perducere optat, oſtendit. Ergo per creaturas intelligentiam creatoris aliquo modo cognoſcimus. Sed tunc in futuro infirmitate depoſita, ad ſimilitudinem duorum directo vultu, ſine aliqua re interpoſita, ſeſe inuicem aſpicientium, ad internæ contemplationis gloriam veniemus. Excedit enim diuina claritas formam, qua intellectus noſter nunc intelligit, quare per eſſentiam non videtur. Nec eſt tanta perfectio noſtræ viſionis, quanta eſt diuinæ eſſentiæ. Efficacia namq; actionis menſuratur ſecundum agentis virtutem. Immenſitas igitur Dei, atq; ſumma perfectio ab omni videbitur intellectu, ſed non immenſe, atq; perfecte. Cum diuina eius virtus, qua eſt intelligibilis, virtutem excedat omnium intellectiuam. In his enim quæ per ſe intelliguntur ſine qnantitate dimenſiua, non impeditur intellectus comprehenſio, niſi per quantitatis virtualis exceſſum, quando id quod intelligitur habet modum intelligendi perfectiorem, quam quo intellectus intelligit. Vt ſi aliquis hanc propoſitionem ſciat eſſe demonſtrabilem, omne totum eſt maius ſua parte, ad quam cognoſcens nondum peruenit,

cum eam perfecte non cognoſcat, ſcit quidem totum cognitionis eius modum, ſed neſcit eam ſecundum totum modum, quo erat cognoſcibilis. Sic etiam veritas diuinæ eſſentiæ, qua eſt cognoſcibilis, excedit lumen cuiuslibet intellectus creati, quo cognoſcitiuus eſt, non quia ſecundum partem non ſit cognoſcibilis, ſed quoniam ad perfectum cognitionis modum pertingere non poteſt. Et quia videre Deum per formam creatam non eſt eius viſio, tam homo, quam Angelus determinatur ad talem formam intelligibilem: ſed homo, ſicut ſupra dictum eſt, lumine naturalis rationis agente, per ea quæ ſunt a ſenſibus abſtracta: cum omnis eius cognitio a ſenſibus oriatur. Sed Angelus per formam, quæ eſt ſua eſſentia. Cognitio.n. Dei, ad quã homo naturaliter peruenire poteſt, eſt vt cognoſcat per formam intelligibilem, quæ lumine intellectus agentis eſt a ſenſibus accepta. Sed cognitio Dei ad quam Angelus naturaliter accedere non valuit, eſt vt cognoſcat per alterius, aut ſuimet intuẽtis ſubſtantiam. Ideo dixit Phyloſophus, quod intelligentia intelligit quod eſt ſupra, & infra ſe per modum ſuæ ſubſtantiæ, quoniam inquantum eſt creata a Deo, ſubſtantia ſua eſt ſimilitudo quædã ſubſtantiæ æternæ. Itaq; vnuſquiſq; Angelus Deum illa viſione intuetur, quam expectamus intuitiuam, quæ eſt facie ad faciem. Et tanto intellectus aliquis ex cognitione diuinę eſſentiæ plures effectus cognoſcit, quanto pertingit ad modum cognitionis illius perfectiorem, eam plenius intuendo. Ideo impoſſibile eſt aliquẽ intellectum creatum videndo diuinam eſſentiam, omnia cognoſcere, quæ ex ea cauſari poſſunt; quæ Deus ſcit ſcientia ſimplicis notitiæ, quæ ſcilicet facere poſſit, quamuis nec ſint, neq; futura ſint, præter Chriſti animam, quæ videns Dei eſſentiam, omnia cognoſcit, quę Deus ſcit ſcientia viſionis, ſcilicet præſentia, præterita, & futura, quæ omnia ſiue ſint ſcientia ſimplicis intelli-

gentiæ,

gentiæ, ſiue viſionis, Deus videns ſuam eſſentiam, cognoſcit. Et ideo vnuſquiſq; ſecundum menſuram,qua videt Deum, plures, vel pauciores videt effectus. Et ſic iſta cognitio, qua res per verbum cognoſcit,erit alia a cognitione per rerum ſimilitudines. Qui quoniã habet eſſentiã (quæ eſt vt actus in genere intelligibiliũ) ſibi præſentem, intelligere poteſt quod eſt intelligibile apud ſeipſum, ſcilicet eſſentiã ſuam per ſeipſam. Nam cum ſit quædam actio,quæ dicitur tranſiens, quæ cauſatur ab agẽte, & in paſſo ſubiectiue recipitur, ita quod licet agens ſit eius principium,tamen non eſt eius ſubiectum, cum ſit ſeparata ab ipſo: Et alia ſit actio immanens, quæ remanet in agente, & perficit ipſum, & eſt ſubiectiue in ipſo. Et quoniam tale obiectum eſt vnitum ipſi agenti, & vt vnitũ eſt ratio formalis talis actionis immanentis: intelligens enim vt intelligens cum ſit actu, vnitur ſibi intelligibile. Cum igitur eſſentia Angeli de ſe ſit vnita ſuo intellectui, poteſt eſſe principium intellectionis, quæ dicitur operatio immanens ſubiectiue recepta in agente. Et ex cognitione ſui venit in cognitionem aliorum per ſpecies in ſe relucẽtes: & ad formas ſe conuertendo intelligibiles in verbo, ſiue in alio cognoſcente exiſtentes. Nam cum illæ rationes idearum æternæ in verbo ſint effectiuæ rerum, quo ad formam, & materiam. Et Deus cum ſit perfectiſſima virtus, atq; ipſamet actus puritas, per verbum quod eſt ſua eadem eſſentia omnia cognoſcat efficaciſſime, non ſolum in vniuerſali natura, ex parte formæ, ſed etiam in ſua ſingularitate, ex parte materiæ, ſicut effluunt illæ formæ paſſim ad eſſe exiſtentiæ ex vtroq;, ita effluere poſſunt rationes rerum intelligibilium in Angelis, ad cognoſcendum vtrumq;, ſcilicet particulare, & vniuerſale, & vti iſta cognoſcendi ratione talia repreſentante, ad cognitionem intuitiuam, quando realiter exiſtunt. Nec propter hoc a rebus aliquam non

poſſun

poſſunt habere notitiam, cum multa naturaliter poſſideant, vnde proficere poſſint. Nam & ſi cognitio fiat per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, & cognoſcens accipiat formam cogniti, & cognitum de nouo perueniat ad formam, quæ erat in cognoſcente, & præſentia, quæ prius erant futura cognoſcant. Vt ſi aliquid nondum homo, ei non aſſimilatur intellectus Angelicus per formam hominis quam habet concreatam, ſed cũ incipit eſſe homo: tamẽ per hoc quod intellectus cõfortatur, ſiue ratione ſui, ſiue ratione alterius fortioris luminis refulgẽtis, ad plures ex eiſdẽ formis cognitiones eliciẽdas, (ſicut ex eiſdẽ formis in phãtaſia præexiſtentibus, prophetiæ lumine ſuperueniente, aliqua concipitur notitia, quæ concipi ante nõ poterat, virtute intellectus naturaliter agentis,) poteſt in rebus proficere, & ab eis naturaliter omnium rerum cognitionem habere. Nam cum poſſit recipere ſpeciem aliam a ſe, oportet vt habeat potentiam receptiuam illius, ſed habet potentiam reducentem, ad hoc, vt actu intelligatur, & hæc eſt virtus intellectus agentis, ergo habebit receptiuam, quæ eſt intellectus poſſibilis, cuius munere poteſt melius proficere per comparationem ad obiecta, in quibus reſplendent. Qui omnia diuerſæ ſpeciei exiſtentia, quæ diuerſis formis concipiunt, ſimul intelligere non poſſunt, ſed quæ cõcipiunt per eandem formam, ſimul intelligunt, ſicut quæ concipiunt per vnius verbi eſſentiam ſimul comprehendunt. Sed qui per eandem formam multa intelligunt, per vnam ſpeciei formam, omnia vnius ſpeciei ſingularia comprehẽdere dicimus. Et ſicut inferiores Angeli multa poſſunt vna ſpecie intelligere, ita ſuperiores ſimul multo plura, quam inferiores concipiunt. Et ſicut quidam perfectius diuinæ prouidentiæ fontem, diſpoſitionemq; intuentur, ita in verbo plura etiam futura ad vtrumlibet ſciunt, quæ contingentia vocantur. Qui ſua naturali cognitione per

ſpecies

ſpecies rerum inditas, ea futura præſcire poſſunt, quæ in ſuis cauſis proximis ſunt determinata. Sed quæ ſunt ad vtrumlibet, & indifferenter ſe habent, nullo modo. Quamuis ſi cauſæ vniantur, quæ contingentes inclinare ſolent magis ad vnum, quam ad aliud, ſicut quæ ex libero dependent arbitrio, ex conſuetis hominum actibus, quibus ad vnum inclinantur, aliqua futura coniicimus, certitudinalis cognitio haberi poteſt. Sed cogitationes cordium in verbo tantum, & naturali cognitione non niſi in generali cognoſcere poſſunt, cum motus voluntatis alicui cauſæ naturali non connectatur, ſed ſolum diuinæ prouidentiæ, a qua habet dependentiam. Sed per accidens quandoq;, vt ſi ex cogitatione aliquis reſultet motus in corpore (ſicut Medici) cordis paſſiones cognoſcere poterunt, ſiue de ſtatu meritorio in demeritorium, quam mutationis diſpoſitionem generaliter agnoſcunt. Sed cum ſint quidam Deo ſemper immediate aſſiſtentes, ſecretaq; eius in miniſterio aliquo recipientes, interius per illuminationem mitti dicuntur, cauſando conceptum; ſiue ſui notitiam, quæ eſt manifeſtatio verbi interioris, quod mente concipitur, ſecundum comunem curſum reuelatam inferiori immediate diſtanti; quem intuitiue cognoſcit. Vnde voluntas Angeli, ſicut facit, vt actualiter ſe cõuertat ad formas, quas tenebat in habitu, ita ſimiliter operatur, vt Angeli intellectus fiat perfectior in actu formæ penes ſe exiſtentis; & ſic tam ſecundum ſe, quam in ordine ad alium agit, vt tali forma perficiatur. Qui etiam diſpoſitiue agit, Angelos illuminando diſtantes, aliquid in verbo intueri. Qui ſicut intuitiue in ſe intelligit; ſic etiam in intellectu alterius cognoſcentis intuitiue cognoſcit, per virtutem diuinitus impreſſam a principio; quod eſt habere rei cognitionem ſecundum quod præſens, & ſecundum quod exiſtens, qua caret inferior in comparatione ad ſuperiorem. Quæ cognitio, ſcilicet rei præ-

ſentis

ſentis ſecundum talem exiſtentiam, cognitio intuitiua nuncupatur, qua res dicimus intueri, ſicuti ſunt. Et abſtractiue per ſpecies rerum innatas, ſiue acquiſitas, ſicut inferior intuetur. Atq; per alium intellectum exprimentem, cuius imperium eſt determinari ad hoc, vel illud, & ad agere, vel non agere. Quæ actio cum ſit finiti agentis, cum vnicuiq; correſpondeat propria intentio, cauſare non poteſt infinitas intellectiones. Et ſic quantò intellectus agens eſt magis actiuus ſpecies actu intelligibiles in agendo, tantò intellectus poſſibilis eſt magis paſſiuus in illas recipiendo. Et ſicut illius eſt omnia facere, ita iſtius omnia fieri. Qui ſemper habet virtute ſuæ naturæ intellectualis, vnde cum aliis cauſis cooperantibus, poſſit rerum omnium cognitionem acquirere, ſi non haberet, & vti illa ſpecie ad intellectionem abſtractiuam. Cui ſuperior Angelus, quæ ex lumine diuinæ eſſentiæ apprehendit, cauſare poteſt ea nō videnti, & hoc libero voluntatis arbitrio, quam in vno alius non videt. Nam cum poſſit cauſare actum tantū, ita quod non ſpeciem, & ſpeciem tantum, ita quod non actum, & ſimul actum, & ſpeciem in intellectu alterius, ſi haberet plures intelligentias, in poteſtate eius eſſet, vt aliqua cognitio gigneretur in illa, vel in iſta, & vti aliqua ſpecie in memoria, vt propinquior non recipiat, ſi eam cauſare vellet remotiori. Ea namq; quæ ad voluntatis imperium pertinent, ad omnes eodem modo non ſe habent, ſed ſecundum modum a voluntate præfixum. Vnde ſi fieret in actu alicuius ſpeciei per propriam voluntatem ſecundum intellectum in ordine ad vnum, vel ad plures, percipietur tantum ab vno, vel a pluribus ſecundum cauſantis determinationem. Et ſicut corpora ſuperiora ſunt quaſi actus reſpectu inferiorum, vt ignis reſpectu aeris; ſic etiam ſuperiores Angeli ſunt quaſi actus reſpectu inferiorum, & inferiora corpora per ſuperiora conſeruantur, quæ ſunt locus eo-

rum, ergo inferiores ſpiritus ex eorum continuatione intuitiua intellectuum confortantur, & illuminantur: cum omnis potentia ex vnione ſui actus confortetur, & perficiatur. Quæ illuminatio, quando intellectus confortatur ad aliquid cognoſcendum, ſupra id quod cognoſcebat, cauſatur: quatenus lumen inferioris Angeli per lumen ſuperioris fortiſsime ad aliqua cognoſcenda, quæ prius erant occulta vigoratur: & ſic ſemper habet locutionem ſibi vnitam. Sicut enim nos alium illuminamus, quando ei aliquod medium tradimus, quo intellectus eius ad aliquid cognoſcendum roboretur. Ita in Angelis fit per locutionem: ſuperior enim Angelus habet rerum cognitionem propter formas magis vniuerſales: vnde inferior accipere cognitionem a ſuperiori nõ eſt proportionatus, niſi ab illo ſit diuiſa, optimeq; diſtincta, in ſe illud taliter concipiendo, vt quò facilius fieri poſsit, ab inferiorio comprehendatur. Et ſic eum illuminare videtur, quem ſuorũ conceptuum facit poſſeſſorem. Et illa locutione, quæ illuminationi iungitur, ſuperiores ſolum inferioribus locuntur. Sed ſecundum aliam, qua quædam propalantur, fiuntq; comprehenſibilia, ex quibus intellectus minime roboratur, inter ſe indifferenter locuntur. Quapropter locutio nil aliud eſt, niſi irradiatio rerum latentium in occulto. Et hoc propter intelligibile in intellectu exiſtens, vt in memoriæ abſcondito, & in actu conceptum, & ad aliud relatum extra ſe per imperium voluntatis. Quando autem mens ad actum concipiendum, quod habitualiter tenet incluſum, ſe cõuertit, format verbum cordis. Cum vero actus conſideratus arbitrij libertate ordinatur ad aliquid operandum, patefaciendo alteri, dicitur verbũ oris. Conceptus autem interior intellectus humani duplici ſepe circundatur, voluntate, quæ conceptum mentis interiorem ſuo claudit obſtaculo, & ſic ſolus Deus illum conceptum adit, qui mentibus hominum, & Angelorum

gelorum illabitur, & materiali groſsitie. quæ cauſat, vt homo hominis occulta non videat, ſed ad propalandum alteri quod eſt in ipſo intellectu actu conſideratum, per linguæ palatium ingredi oportet, vt vox inſtrumentis formata naturalibus, per illam quales ſumus intrinſecus, aperte alteri extrinſecus oſtendere valeamus. Angelus autem hac ſepe non indiget, cum ſit immaterialis. Et ideo quando voluntatis facultate ad aliqua con ſideranda in actu, quæ prius habebat in habitu, ſe conuertit, loquitur ſibi ipſi, quando vero ſuum conceptum ordinat, vt manifeſtetur alteri, loquitur illi: & talis ordinandi poteſtas, lingua eius dicitur. Ita quod in tali ordinatione conceptuum vnuſquiſq; mentes excitat intendentium: & ideo non tam cito aliquis ſe ordinauit ad alium in actu formæ, quam ille eius cogitationem agnouit. Quod non ſic ſe habet in naturæ Angelorum cognoſcibilitate, cum intuitiue omnia cognoſcant. Sed dicitur Angelus nuntius, ſine terra, id eſt incorporeus, intellectualis, ſemper mobilis, habens viciſsitudinem vnius poſt aliud, ſemperq; actu intelligens, arbitrij libertate vigẽs, Dei miniſter, immortalis propter gratiã, non naturam. Cuius ſubſtantiæ ſpeciem, terminumq; ſola illa veritas nouit, quæ non mota, omnia mouet: ſubſtantia immaterialis ex eſſe, & eſſentia compoſita, ſine diſcurſu, & ratiocinio, per ſpecies rerum innatas intelligens. Nec vt homines a ſenſibus per imaginationem ſpecies acquirens, vt ex forma auri, mõtiſq; recepta, quoddam aurei montis phantaſma formatur: & in intellectu, ex forma generis, atq; differentiæ comprehenſa, ſpeciei formatur quidditas diſcurrendo. Sed ſicut nos ſine diſcurſu, ſimpliciq; intuitu principia cognoſcimus, quod eſt quędam altitudo noſtræ ſcientiæ, ita & Angelus ſe habet ad omnia, quæ naturaliter cognoſcit, cui a principio ſuæ creationis (ſicut beatæ Virgini in inſtanti eius animæ infuſæ, atq; creatæ collata fuit

gratia

gratia æquiualens iuſtitiæ originali; per quã fuit a peccato originali præſeruata) fuerunt inſitæ ſpecies, ſiue ſimilitudines omnium creaturarum, quibus omnes Angeli vident, atq; cognoſcunt. Et quamuis iſtæ rerum ſimilitudines cauſentur ex coniunctione intellectus eorum ad verbum, ſiue per operationem ipſius intellectus, ſiue per influxum verbi, cognoſcunt aliter, quam per ipſius verbi eſſentiam, quæ eſt ſine aliqua interpoſita ſimilitudine rerum ſimilitudo, omniumq; aſpicientium. Et ſicut habent ad quidditates diſtincte cognoſcendas diſtinctas rationes, ſcilicet ſpecies rerum intelligibiles, alias ab eſſentia tales repræſentante, quod eſt perfectionis ſummæ in eorum intellectu; & cum omnis cognitio ſit ſecundum rerum ſimilitudines in cognoſcente cognitas. Vnuſquiſq; Angelus, tam ſpiritualium, quam corporalium exemplaria, quæ Deus ineſſe naturali produxit, in ſe poſſident, qui ſe conuertentes ſuper alterius ſimilitudinẽ, in intellectu quam habet impreſſam, vel in propria natura, per ſpecies rerum concreatas alia intelligunt. Inquantum enim nouerunt omnia creata in proprio genere, ſcilicet elementa producta in ſuis qualitatibus in ſeipſis, & ſuo eſſe, intuitiue inſpiciendo, cognitione veſpertina cognouerunt. Nam quælibet creatura Deo comparata, qui eſt lux per eſſentiã, quoddam veſper eſt ad tenebras iniens. Sed inquantum in cognitionem veniunt rerum conditarum per rationes rerum exemplares in eſſentia diuina, vt in ſpeculo, & a priori, & tanquam in principio emanationis omnium, cognitione matutina cognoſcunt. Quia cognitio rerum in verbo perfectior eſt cognitione in propria natura. Cognitio matutina præcedit veſpertinam ordine naturæ. Sed reſpectu rerum diuerſarum, veſpertina primi operis intelligitur eſſe prior cognitione matutina poſterioris: pro vt in cognitione attenditur ordo reſpectu rerum cognitarum. Opus enim primæ diei eſt productio lucis,

id eſt naturæ Angelicæ, quæ fuit muneribus gratiæ illuſtrata. Sed cognitio, qua creatura ſpiritualis ſe ipſam naturaliter cognoſcit, ſequitur eſſe eius in propria natura. Et ſic Angelus prius nouit ſe naturali ordine in propria natura per cognitionem veſpertinam, qua cognouit ſe iam factum, quàm cognouerit ſe in verbo, in quo opera Dei vt facienda, cognoſcuntur, tanquam in principio emanationis, in quo exitus creaturarum inſpicitur. Quod a beato Auguſtino introductum eſt ſuper Geneſim vbi poſuit ſex dierum opera, ſine tẽporis ſucceſſione fuiſſe completa. Qui per illos ſeptem dies vnum diem intelligit, ſcilicet ipſam cognitionem Angelorum, inquantum per ſex dies cognitio Angelorum relata ad ſex rerum genera diuinitus producta intelligitur; per ſeptimam vero, cognitio ad quietem artificis relata, pro vt in ſeipſis a rebus cognitis requieuerunt. Itaq; per veſper intelligitur cognitio rerum in propria natura, per mane autem cognitio in verbo. Et ſic ſecundum diuerſa genera cognitorum, eorumq; ordinem diſtinguntur dies, & ordinantur. Vt prima dies ſit cognitio primi operis diuinitus incepti, per formationem naturæ ſpiritualis, deſignata in lucis productione. Nam ipſa natura Angelica cum ſit intellectualis, lux proprie dicitur, quæ illuminata eſt per cõuerſionem ad verbum. Secunda dies, cognitio ſecundi operis, quæ eſt per formationem naturæ cœli corporeæ, & incorruptibilis, in productione firmamenti, per quod intelligimus omnia corpora cęleſtia fuiſſe creata, & ſecundum ſuas formas diſtincta, ſcilicet cęlum diaphanum, & abſq; ſtellis, quod dicitur aqueũ, ſiue criſtallinum, quod philoſophi nonam ſphæram, ac primum mobile appellant, quod reuoluit totum cœlum motu diurno, vt operetur ſuo motu continuitatem generationis, ſicut cœlum, in quo ſunt ſydera per motum, ſecundum Zodiacum, qui diuerſitatem generationis, corruptioniſq; per acceſſum, & receſſum ad nos, per diuerſas

uerſas

uerſas ſtellarum virtutes, operatur. Tertia dies tertij operis cognitio, ſecundum eſſe creaturę corporalis, producti, ſcilicet quattuor elementorum, in aquarum congregatione, & apparitione aridę. Quarta dies quarti operis cognitio per ornatum cœli, & luminarium productionem, qui ordine naturę terræ, & aquarum ornatum præcedere debenț. Et ſic opera verbi diuini ordine naturæ facta ſunt, non durationis. Et eſt aduertendum, quod luminaria in actu facta ſunt, & non in virtute tantum, ſicut plantæ, non enim habet cœlum virtutem ſtellarum productiuam, ſicut habet terra plantarum. Itaq; Moyſes non dixit producat firmamentum luminaria, ſed germinet terra herbam virentem, id eſt producendi accipiat virtutem. Vnde prius ordine naturæ fuerunt plantæ in virtute productæ, quæ pertinent ad perfectionem intrinſecam partium vniuerſi, ſcilicet terræ, quam luminaria in actu, quæ ſunt ad ornatum cœli. Ea enim ſola ſunt ad perfectionem cœli, & terræ, quæ ſunt cœlo, & terræ intrinſeca, ſed ornatus ad ea quæ ſunt cœlo, & terræ diſtincta, quæ per motum localem ſiue per ſe, ſiue per accidens maxime manifeſtantur. Luminaria igitur cũ ſtellæ fixæ ſint in orbibus, & non moueantur niſi motu orbium, qui motus quoniam ſenſu percipiebatur, Moyſes rudi populo condeſcendens, dixit luminaria ad ornatum cœli pertinere, ſicut animalia ad ornamentum terræ; plantæ autem quoniã terræ radicitus adhærent, nulloq; modo moueantur, ad ornamẽtum ipſius non pertinent, ſed potius ad eius perfectionem. Quinta dies cognitio quinti operis, ſecundum quod aer, & aqua per auium, & piſcium productionem ſunt ornata, in quibus conuenienter mouentur. Sexta dies cognitio ſexti operis, per animalium terreſtrium productionem ad ornatum terræ, in qua apta nata ſunt motu animali ſufficiẽter moueri. Septima verò dies ipſa cognitio relata ad quietem artificis, qua in ſeipſo quieuit ab operibus condendis,

non quaſi in fine, ſed in ſeipſo, in quo beatitudo conſiſtit, permanſit. Cum non ſit beatus ex eo, quod res fecerit, ſed ex hoc, quod in ſeipſo ſufficientiam habens, rebus factis non indiget. Et dicitur quieuiſſe, nam poſt huius creationis facta initia, nihil fecit noui, quò aliquo modo in operibus ſex dierum non præceſſerit, vel materialiter, vel cauſaliter, vel ſecundum aliquam ſpeciei, vel generis ſimilitudinem. Et ſic per terram, & aquam prius opere creationis factam, materiam primam totaliter informem intelligere debemus, & per firmamenti productionem, & aquarum congregationem, apparitionemq; aridæ, impreſſionem formarum ſubſtantialium in materiam corporalem, ſecũdum quod in inſtanti omnia fuerũt ordinata. Ita quod inter veſper, & mane quædam circulatio attenditur, ſecundum quod Angelus ſe ipſum cognoſcens in propria natura, hanc cognitionem retulit in laudem creatoris, ſicut ad finẽ, in quo ſequentis operis cognitionem ſumpſit, ſicut in principio. Et ſicut huiuſmodi mane eſt finis diei præcedentis, ita eſt principium diei ſequentis. Dies enim eſt pars temporis, luciſq; effectus. Et fit diſtinctio ex eo quod diuerſa, diſtinctaq; rerum genera per lucem mentis Angelicæ cognoſcuntur. Et ſicut ortus ſolis in hæc inferiora diem facit temporalem, ſic operatio intellectus Angelici in rerum creatarum repræſentatione, diem facit ſpiritualem. Et vt intellectus Angeli diuerſis rerũ generibus cognoſcendis comparatur, multi diſtinguuntur dies, & talis ordo diei non eſt ordo temporis, ſed naturæ. Et ideo mane ponitur ante veſper. Cum opus primæ diei ſit lux, quam Auguſtinus ſpiritualem intelligit creaturam, quę illuminatur, ſe conuertendo ad verbi eſſentiam. Quapropter Angelus primo in ſeipſo cognouit ſe naturali cognitione, & ſe cognito, in ſeipſo non permanſit, quaſi ſeipſo fruens, & in ſe finem ponens (quia nox effectus eſſet, ſicut Angeli qui peccauerunt, qui in cognitione,

quæ eſt in propria natura, ſiue per ſpecies concreatas perſiſtentes, quaſi ipſa creatura fruentes, & in ea finem penentes, nox effecti ſunt, & ideo præter gratuitam, quę eſt naturalis cognitio, cognitionem matutinam, & veſpertinam amplius non habent, cum talis illa ſit, quæ ſolum refertur in laudem conditoris) ſed cognitionem ſuam in Dei laudem retulit. Et ſic ex ſui cognitione cō uerſus eſt in verbi contemplationem, in quo eſt mane ſequentis diei, vt in verbo ſequentis creaturę, ſcilicet firmamenti cognitionem accepit. Sicut enim videmus in tempore continuo, quod idem nunc eſt duorum temporum, ſcilicet finis præteriti, & principium futuri, ita etiā matutina cognitio ſecundæ diei, eſt primæ diei terminus, & ſecundæ diei initium, & ſic tertiæ, vſq; ad ſeptimam. Et ideo in prima die ſolum veſper nominatur, cū Angelus ſui ipſius primò habuerit cognitionem veſpertinam, & ex veſpertina profecerit in matutinam, ex ſui viſione conuerſus in verbi intuitionem. Et ſicut prima dies habet tantum veſper, ita vltima habet tantum mane, propter talis cognitionis ordinem. Ponit igitur Auguſtinus omnia iſta ſex rerum genera cum Angelo fuiſſe ſimul creata, & ſtatim à principio creationis illos dies fuiſſe. Et in eodem inſtanti cognouiſſe verbum, & res creatas in verbo cognitione naturali imperfecte, quæ poſtmodum cognitione ſupernaturali, ſiue gloriæ plenius, & perfectius cognouit: quam cognitionem ſtatim Angeli acceperunt poſt grates redditas ſummo creatori. Itaq; naturalis cognitio cum menſuretur æuo, ſemper coexiſtit cognitioni ſupernaturali ipſius verbi, & cognitioni, qua per ſpecies ſibi inditas noſcunt creaturas in propria natura. Et ſicut res creatæ habent triplex eſſe, ſcilicet eſſe in arte diuina, & in eſſentia Angeli, & in propria natura: ita Angeli triplicem habent de rebus cognitionem, ſcilicet prout in verbo ſunt, & in mente eius, & in ipſis rebus, ſiue in propria natura. Sed verbi dupli-

cem habet cognitionem, naturalem, qua cognoſcit verbum per eius ſimilitudinem in natura ſua relucentem, in qua conſiſtit ſua naturalis beatitudo, ad quam virtute ſuæ naturæ poteſt peruenire, & ſupernaturalem, qua cognoſcit verbũ per ſuam eſſentiã, in qua conſiſtit ſua beatitudo ſupernaturalis, quę naturæ excedit facultatem. Et illa prima cognitio, quæ eſt rerum in verbo affuit Angelo a principio ſuæ creationis. Et ſic dicitur quod Angeli, qui in illa qua creati ſunt beatitudine perſeuerant, non natura, ſed gratia poſſident bonum, quod habent, cognitio autem gloriæ non affuit, cum non fuerint creati in beatitudine perfecta, ſed eis affuit a principio, quando beati facti ſunt perfecta conuerſione media ad bonum. Qui etiam ratione diuinæ prouidentiæ, cuius munus eſt ordinare res in finem, cuſtodes hominum ſunt: ſicut enim corpora inferiora a corporibus ſuperioribus reguntur, ita corporea per incorporea gubernantur, ſcilicet per ſubſtantias ſpirituales. Vnuſquiſq; ergo ſuum Angelum habet ab initio ſui ortus ſibi in cuſtodiam deputatum. Demonemq; in exertitium, vt Socrates ſe habuiſſe fatetur, cuius inclinatione ſua vita regebatur, vt quilibet animam ſuam a perturbationibus liberaret, & quietem tranquillamq; redderet: cum eius vis & ratio in motu ſit. Nam ſicut aqua ſemper iacens inſalubris eſt, & turbida, ſic anima immota, turpitudinibuſq; detenta, morborum cõtagiis ſubiecta, ſibi inutilis eſſet. Tunc enim mentis quis agitat molem, quando cogitationibus prauis ſuperuenientibus reſiſtit, & animi virtutem tuetur. Qui diu in aliquo vitio ſtetit, euelli perdifficile eſt, non enim inquinatus dicitur, ſed infectus. Non ergo parua eſt virtus, vt ſe homo a non recta conſuetudine reflectat, ac reuocet, quoniam iniquitas morum a prima ætate longo tempore confirmata, vim quodamodo naturæ obtinet. Qui ergo dum vitam agit, virtuti nõ indulget, ſenio dum eſt affectus, a vitiis ſe neſcit

ſcit temperare, quod enim annis creſcentibus addiſcitur, in matura ætate conſeruatur. Cadit bos, & inuenit ſubleuantem, cadit anima,& non eſt qui auxilium præſtet. O anima inſignita Dei imagine,rationis particeps, capax beatitud:nis,hęres bonitatis,redempta ſanguine, deputata cũ Angelis,quę dũ corpus viuificas,anima diceris,dũ aliquid vis, animus nũcuparis, dũ ſcire cupis,mẽs interpretaris,dũ recolis,memoria es,dũ rectũ iudicas,ratio es,dũ ſpiras,ſpiritus es,dũ aliquid ſentis,ſenſus vocaris, ſi qua in te eſt virtus charitatis,tui cuſtodis acquieſce cõſiliis,tanto cuſtodi ſis grata,atq; deuota,& cũ aliqua in te ſurgit tentatio,vel aliqua imminet tribulatio, cuſtodem tuũ implora, directorem tuũ deprecare,adiutorem tuũ in opportunitatibus tuis inuoca, qui ſemper in aliqua calamitate propitium ſe inuenire delectat. In quouis domus angulo, vbiq; tuo Angelo reuerentiam exhibe, nec audeas illo præſente committere, quæ aliquo proſpectante,non auderes manum inferre. Adeſt tibi,qui te regat,qui te moneat,qui te gubernet,qui actus tuos corrigat, & miſericordiam imploret,preces offerendo tuo redemptori: agit diem feſtum lætabundus, ſi te fugientem cõſortia Demonum, per exercitia virtutum, aſpexerit; feſtinatq; circuens, vt poſſit te Angelicis aſſociare conſortiis. Væ animæ imprudenti,quæ cum omnem creaturam naturæ dignitate præcellat, Diaboli adultera inuenitur, væ animæ ſi ſuo delegato in cuſtodiam non aſſueſcit. Qui enim ſuum Angelum non veretur, ad illam æternam ciuitatem ex Angelis, & hominibus,vbi ſempiterna ſunt gaudia, ad quam credimus humanum genus aſcendere, nõ perueniet, qui cum omnia iuſſu Dei regant, & omnibus adminiſtrent, interius, & exterius miniſterium ſuum implent. Et cum cuſtodia Angelorum ſit in conſequendam rerum promotionem in finem,& ad remouendum ea, quæ ad conſequendum finem impediunt. Idem Angelus matris cuſtos,puerum

in eius vtero viuentem cuſtodit. Quo nato Angelus alter deputatur. Vnde Hieronymus. Magna eſt (inquit) dignitas animarum, vt vnaquæq; habeat ab ortu ſuæ natiuitatis in ſui cuſtodiam Angelum delegatum. In quibus etiam anima Antichriſti intelligitur, nam lex comunis propter vnum mutari non debet. Quę cuſtodia, cum ſit executio diuinæ prouidentiæ, cuius ratio eſt impedire mala, vt conditio naturæ ſaluetur, ab eius ortu ad occaſum terminatur. Quos ſecundum aliquem effectum cuſtoditos aliquando relinquere dicimus, eos tribulationibus exponendo, tantumq; agentes, quantum eis ſecundum ordinem diuinæ prouidentiæ, & iuſtitiæ permittitur, & quantum nos bonitati eorum acquieſcimus. Et quoniam quorum cuſtodes ſunt, bonum nō conſeruant, neq; aliquo modo acquirunt, vel augent, ſed vt malum euitent, deſerant, atq; minuant, ne labantur in peius, retrahunt, & non relinquunt. Quanto enim aliquis naturæ fragilis eſt peior, tanto ad malum eſt pronior, & quantum eſt ad malum pronior, tanto indiget retrahente, vt conuerti poſſit. Et ſic dicuntur magis ſolliciti ad conſeruandum, quam maligni ſpiritus ad nocendum, & tantò creſcit eorum gaudium, quantò de pluribus gaudent, & plura bona in adimplendo domicilio adepti, fructus ſuæ cuſtodiæ Deum collaudantes, inſpiciunt. Nec aliquo conatu cauſare poſſunt ſpeciem intelligibilem in eorum intellectu, impedito ne poſſit recipere immediate immutationem ab aliquo actu intelligibili ſine phantaſmate: neq; potentes ſunt hoc Angeli efficere, cuius ſufficientia eſt in actu primo. Quamuis docere poſſunt, rebus vtendo naturalibus, eaſq; repreſentando ſenſibus, a quibus ſenſus immutantur, & phantaſmata gignuntur, & firmantur, impedimentaq; omnia remouentur; & ex eis ordinatę ſpecies rerum intelligibiles abſtrahuntur. Itaq; obiecto interius demonſtrato, vel appetitu ſenſitiuo ad aliquam paſſionē iræ, vel con-

cupiſcentiæ interius excitato, obiicientes ſe animæ, ſpecies infundendo diuinitus acceptas, illuminato intellectu, boniſq; phantaſmatibus de nouo formatis, ad eas co gnoſcendas voluntatem alicuius in libertate ſemper exiſtentem, inclinant. Vel per ſigna ſenſibilia docent, virtute agente ſui intellectus coagentis intellectui hominis ſimiliter agenti, cum phantaſmate efficacius operando. Et ſic duo intellectus eiuſdem rationis producere poſſunt ſpeciem intelligibilem perfectiorem, repræſentantem magis diſtincte quidditatem. Qui animæ eſſentialiter minime illabuntur, ſed applicatione, vel oppreſſione vniuntur, cuius partes ſecundum ſubiectũ ſolus Deus implere poteſt, qui cordis intima potens eſt ſolus adire. Ad Sathan non introeundo, ſed in effectũ malę cogitationis animam trahens, aconita admiſcendo implet. Corporibus autem nõ vt forma, anima enim eſt forma corporis, ſed vt motores, ſicut intelligentiæ orbium connectuntur. Et ad operationes exercendas illis, ſicut inſtrumentis, & quæ non fuerunt prius a cauſis naturalibus informata, quæ ſubito expleta operatione, euaneſcunt, vtuntur vt formis, in quibus motũ progreſſiuum cauſare poſſunt ſine ſenſu, & intellectionem exprimere, formando voces, & per modum actuationis phantaſiæ, ſecundum phantaſma rerum ſenſibilium, cõmotione, & alteratione phantaſmatum, & varia eorum obuiatione, quibus facile applicãtur corporea, reſpectu ſenſus interioris & præter exteriorem locutionem, per immediatum influxum ſpecierum, vel actuum in potentiam intellectiuam, vel ſenſitiuam, comuni, & eorum naturali curſu, etiam intrinſecus loqui poſſunt. Et commiſtionem facere per motus maxillares in ventriculo, reſoluendo in humores, quia pars ſecundum ſpeciem habet certam periodum, in qua poteſt conuertere in ſe partem nutrimenti appoſitam; ſed in corpore tali aſſumpto non fit actio ſufficienter in nutrimentũ, cum careat partibus

tibus organicis, & anima informante, & ideo oportet, vt fiat reſolutio. Quod ſimile dicitur de Demonibus. Qui ſicut poſſunt agere, & pati, ſurripiendo ſemen ab aliquo, ſuccumbentes, quo ſeruato in ſua naturali quali tate, & immediate diffuſo, incumbendo, cauſare poſſunt generationem, ita multis alijs rebus obſcænis vtuntur, vt nos ſeducant. Et præcipue cum ſit vnus alio potẽtior ad nocendum, ſcientes hominis voluntatem immutare nõ poſſe, nec aliter mouere, neq; directe immittere poſſe cogitationes intrinſecus, & animas ſecundum corporis diſpoſitiones inclinari, & actuationem interiorum virium, ſcilicet intellectus, memoriæ, & voluntatis, ſecundum immutationem ſenſuum exteriorum fieri, & animabus nocere non poſſe, niſi per ſenſus, qui ſunt qua ſi quinque feneſtræ tabernaculi animæ, ſe diſponunt occulte, quantum a Deo permittitur, opponere ſenſibus hominum, per aliquod obiectum exterius demõſtratum, quo ſenſibili de nouo, vel a natura formato, perſua dent, vt acquieſcant, & vt aliquæ rerum habitudines pul chræ, blandæq;, vel turpes occurrant, quarum apprehenſione, & immutatione homo aliquam ſuſcipiat paſſionem, flectendo oculos ad obiecta demonſtrata, figen do aures vaniloquiis, vel aliqua turpia meditando. Et quadam tenacitate procurant illis intendere, per quæ homines a diuinarum contemplatione rerum abſtrahere perfacile poſſint, Atq; per omnes aditus ſenſibiles cir cuiunt, quẽ deuorent, accomodantes ſe coloribus, ſubiicientes ſe odoribus, & infundendo ſe ſaporibus, vt in illis inordinate ſe oblectent. Qui ſicut talibus ſe obiectis immiſcent, ſic & naturalem rerum virtutem ampliare poſſunt, imprimendo, vel intuentem inflammando, & vt liquor inſipidus appareat ſapidiſſimus, & mulier informis amantibus appareat formoſiſſima; & vt delectentur quibuſdam animalibus, propter eorum ingreſſum. Et hæc omnia quò ad partes exteriores operantur. Namq;

ad

ad intra per paſſionum partis ſenſitiuę excitationem, ſemper alterant corporea, niſi diuina prohibitione tangantur. Mouent enim humores alterando, ex quibus iraſcibilis, vel amor concupiſcibilis cauſatur, vt choleram, qua ira, melancholiam, qua triſtitia, atq; deſperatio, Phlegma, qua pigritia, ſanguinem, pruritumq; interius, qua luxuria producitur, vel immutando actus nutritiuæ, vel appetitiuæ, vt homo eſuriat, famemq; patiatur. Et cum vtriuſq; ſint philoſophiæ profundiſſimi interpretes, bene ſciunt quattuor elemēta quattuor anni temporibus, quattuor qualitatibus, quattuorq; noſtri corporis humoribus, iuxta quattuor ætates ipſius hominis aſſimilari. Comparatur enim terra, quæ eſt frigida, & ſicca, Autumno, ex præcedenti æſtate, ſicco, & ex ſubſequenti Hyeme, frigido. Aſſimilatur aqua frigida, & humida, Hyemi. Et aer calidus, & humidus veri connectitur, ex pręcedenti Hyeme, frigido, & ex aduenieti æſtate, calido. Ignis calidus, & ſiccus, æſtati colligatur; quibus ſecundum magnam temperiem conſtat genus humanum. Sanguis enim calidus, & humidus Aeri, & Veri comparatur, in quibus temporis partibus magis viget in homine luxuria, qui dominatur in infantia, cum aliqua parte phlegmatis. Et cholera rubea, calida, & ſicca, igni, & æſtati, in qua ira magis inſurgere potens eſt, & abundat in iuuentute, quam nigra ſubſequitur cum copia ſanguinis. Atq; melancholia frigida, & ſicca, terræ, & Autumno adaptatur, in quo liuor magis vrget, & maior appetitus generatur, & eſt in prouectioribus. Vltimò phlegma, quod eſt frigidum, & humidum, aquæ, & hyemi, in quibus Accidia, corporiſq; compoſitio extenditur abundanter. Quæ ex frigiditate cauſata, bonū opus inchoare negligit, & eſt maxime in ſenibus. Nec ignorant ſanguinem, hominem facientem pronum ad gaudium, cum colera in dextro ſedere latere, ſub epatis domicilio. Et melancholiam ſub ſplene, in ſiniſtro. Atq;

phlegma,caput,veſicā,& cordis intima habitare. Sciunt etiam ſanguineos hilares eſſe,affectioneſq; bonas tardare, & malas cito adimplere. Sicut cholericos voraces, maloq; intendentibus totaliter ſe admiſcere. Norunt etiā melancolicos intrinſecus facile mobiles;atq; phlegmaticos tardos,obliuioſos, & corpore grauatos, citoq; ſeneſcentes. O fallax Demonum ſapientia,quæ æternitatis diuturnitatem ſine initio,& fine, omniq; mutabilitate carentem deperdere facis. Vbi cuncta ſunt conuenientia, conſonaq; omnia, & omnium vna concordia. Quam dicere vox nulla ſufficiet, omnéq; humanę mentis ſenſum illud decus, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria excedit. Vbi eſt ſempiterna vita,fęlix beatitudo, ſumma libertas,certa tranquillitas,æterna fęlicitas, libera ſocietas,amor infallibilis, ſummum bonum incomparabile,dilectio perfectiſſima, dies æternus, & omnibus idem ſpiritus. Et quamuis vna ſit omnium beatitudo, non eadem tamen eſt dignitas, nec eadem omnibus retributionis qualitas. Et quis intellectus capere tanta ſufficiet? vbi cum beatiſſimis ſpirituū choris ante maieſtatem gloriæ immenſi conditoris aſſiſtitur,in circumſcriptum, & inacceſſibile lumen inſpicitur, præſens Dei viſio cernitur,æterna vita in ſuo fonte bibitur, immortalitatis perpetuo munere lętatur,æternitatiſq; aditus omnibus clariſſime reſeratur, atque fęliciſſima vnius ſummæ eſſentiæ iucunditas demonſtratur.O Demon male iniquitatis auctor, o nequitiæ inuentor, o malorum omnium origo, mundiq; corruptor, cur laqueos tendis? cur lapſus paras? cur foueas fodis? cur talem aptas ruinam? ſicut Deo dilectionis virtute,& amoris vinculo nihil eſt pretioſius, ita Diabolo extinctione charitatis nihil eſt optabilius. Qui cum ſit perpetuus hominis inimicus, prius vniuſcuiuſq; naturam perſpicit, deinde tentationis laqueos diſponit. Quia lætitiæ voluptas lętis moribus accomodatur, quia deceptio

complexioni

complexioni connectitur, hominibus luxuriæ morbum proponit. Quia contentio circa ea, quæ comunia ſunt, ſolet oriri, veritatem occultãdo, tam diu laborat, donec peruerſi ſpiritus ſatellites ad ſtudium cõtrarietatis eruperint. Et quia triſtitia in iram facile labitur, triſtibus arma diſcordiæ porrigit. Quia timidi de æterno ſupplicio formidant, timidis terrorem inducit, vt non cognoſcant. Quia vanę mentis elati vanis laudibus ęxtolli volunt, ad eandem vanitatem blanditiis trahunt, pro vt vitia, & natura ſingulorum expetit, conuenientes parat inſidias. Quia hominis inceſſus eſt mollis, laſciuiam, quia diſſolutus pigritiam, quia impetuoſus inconſtantiam proponit. Ideo qui eſt gratioſus ſine mollitie, in dulcedine rigidus, in rigiditate dulcis, quietus ſine diſſolutione, grauis ſine tarditate, alacer ſine inquietudine, maturus ſine proteruitate, & ſine turbulentia ſeuerus, ſuos greſſus, ſuæq; naturæ vires ad omnem actum ordinatum commouere ſolet. Per illud enim quod foris eſt, ſiue bene, ſiue male agitur, interior animi qualitas omnibus aperitur. Si Demonũ eſt ſemper malę ſuggeſtionis nodos proponere, noſtrum eſt non conſentire. Namque cum ſit eius impetus inſuperabilis, omnia conculcare, omnia proſternere cupit, cui ſi forte aliquantulum reſiſtitur, infirmior paſſim inuenitur. Caute in cedẽdum eſt, ne mortiferæ voluptatis illecebris blandiatur: allicit enim ſemper, vt aliquod poſſit præſtare nocumentũ. O rerum hoſtis acerrime, cur ſtimulas homines, eorũq; mentes? cur pungis animam? cur mala ſuggeris? cur ſtimulos iræ immittis? cur feris errorum impietatem? cur diſcordiæ nutris iniquitatem? cur pacis, trãquillitatiſq; quietem turbas? cur effectus diſſipas? cur rerum humanarum opus violas? cur diuina tentas? cur virtus odio, & per te vitia adduntur amori? Diabolus ſemper boni operis recta primordia feſtinat extinguere, ne ſub relligione fundata, amplius ſubuertere non poſsit. Cognoſcunt

vnde

vnde omnium conflictus exurgat, cognouerunt quibuſdam temporibus tarditatem inducere, obliuionemq; ſeruare, & cætera facere, quæ animarum perditionem cõminãtur. Ac etiã docte didicerũt, medii ratione ſeruata, vt recte incedentes rerum diuinarũ obliuiſcantur, mundiq; oblectamenta ſectentur, & vt a recto tramite ſe admoueant, conſultantes, in varios inducunt errores. Qui ſane ex temporum vetuſtate, & experientia acceperunt, qua hora ſanguis dominatur, quo tempore cholera ſuũ habet vigorem, & quo melancholia nos diſſipat, atq; phlegma deturbare ſolet. Nec ſolũ humorum tenuitate excitata, in aliquod deteſtabile crimen inducunt, ſed etiam per phantaſiæ, vel imaginatiuæ immutationes, & alia ſpirituum motione. Nam ſanguine ad interiora cordis deſcendẽte, vel ad cerebrum, vt ad principalia ſenſitiua, deſcendunt etiam motus, vt impreſsiones, phantaſmata, ſpecieſq; derelictæ ex motione ſenſibilium, quæ in ſenſuali ſpiritu conſeruantur. Et cum mouent cor, aut cerebrum, ſiue principia apprehenſiua, cauſantur ſomnia, & imaginariæ viſiones dormientibus, & tantò, quantò eſt fortis ſpirituum motio, cauſant etiam vigilantibus, vt in phreneticis apparitiones. Sic per Angelos impreſsiones, ſpecieſq; derelictæ ex motione ſenſibilium in phantaſia moueri poſſunt, principium ſenſitiuum, ſcilicet cor tangendo, vel cerebrum, vt ſomnia generis eiuſdem inducant. Intellectus enim noſter ſe habet ad phantaſmata, ſicut oculus ad mundi ſenſibilia, & obiecta eiuſdem, quæ ſicut ſunt, oculo repræſentantur. In phantaſia hominis ſunt omnium rerum ſimilitudines ab oculis apprehenſæ, vel ab aliquo alio ſenſu: nã inſpiciẽdo rem alicuius momenti, ſimilitudinem illius habet in phantaſia, & ſicut repræſentantur, ab intellectu capiuntur. Volens igitur iſte leo rugiens in diuerſas noſtrahere cogitationes, cum poſsit corpora localiter mutare, aliquo præexiſtente in corpore, quod per quandam

dam tranſmutationem localem ſpirituum, & humorum reducitur ad principia organorum, etiam ſecundum naturæ operationem faciet aliqua ſecundum ſenſum, & imaginationem videre: Nam excitabit in phantaſia pulchram alicuius mulieris effigiem, quam cum tenera delectatione proſpeximus, vel aliqua eiuſdem membra impudica. Itellectus autem, qui non poteſt effugere, quin iſtas rerum ſimilitudines intelligat, ſicut ſpeculum, in quo fieri non poteſt, quin illa, quæ ſunt ibi præſentia, eluceant; quę quamuis repræſententur, non imputabitur ad peccatum, niſi conſenſu aliquis aquieſcat. Qui & ſi dicatur incenſor malarum cogitationum, cogitationes tamen malas immittere in voluntate non poteſt, intrinſecus eas cauſando: eò quod vſus cognitiuæ virtutis non ſubiacet eius imperio, ſed Deo, & voluntati. Sed incendit ad mala cogitanda, vel appetenda cogitata perſuaſione, aut agentis paſsione incitat perſuadendo, immundas paſsiones excitando. Qua propter eſt conſideratione dignum, quod eadem eſt virtus naturæ in Angelis, & Dæmonibus, cum eorũ eadem ſit natura comunis. Quamuis omnes adinuicem ſpecie differant, ſecundum gradus perfectionis naturę intellectualis, quatenus vnus Angelus eſſentiam ſuam videns, ſingulos gradus naturæ intellectualis concipit, de omnibus aliis Angelis cognitionem habet completam, ſed differentia ſolum eſt in vſu virtutis, quantum ad opus voluntatis, ſiue bonum, ſiue malum. Nam Angeli zelo charitatis ſuccenſi hominem ad perfectam veritatis cognitionem iuuant, quam Dęmon impedire intendit. Et cum intellectualis hominum operatio ſecundum lumen intelligibile, & ſpecies intelligibiles perficiatur, cum ſecundum ſpecies fiat rerum apprehenſio, & ſecundum intelligibile lumen iudicium de apprehenſis perficiatur, tam hominibus, quam Angelis tale lumen ineſt, ſed diuerſimode. Namq; Angeli peragens ſuum naturale lumen, confortare poſſunt lumen

intelligibile intellectus humani, cũ virtus ſuperior adiuuare, & confortare poſsit inferiorẽ ad perfectius operandum. Qui quidem adiuuare, & confortare ſemper intendunt, ſiue ad perfectius intelligendum, moueant animum, ſiue ad rectius iudicandum, ſeu ad optime aliquid conſiderandum. Quod Demones minime faciunt, niſi ex parte ſpecierum, immutando hominis intellectũ, ad aliquid intelligendum, ſine ſpecierum influxu in ipſo intellectu, ſed quædam ſigna exterius exhibendo, quibus intellectus excitatur, ad aliquid comprehendendum, vel diſponendo ſpecies imaginarias, ſecundũ quod cõpetit ad aliquod intelligibile apprehendendum. Et ſicut boni hæc ordinant ad bonum, ita mali hæc diſpõnũt ad malum, ſiue ad impediendum veritatis intelligentiã, interius operentur, ſiue ad impudicitiam animos hominum excitent, ſeu quibuſdam nebulis omnes intelligentiæ meatus impleant, per quos radius mentis lumen rationis expandit, ſiue abſentia, tanquam præſentia, vt eius fallaciis ſubiiciamus, oſtendant. Sicut quãdo phantaſmata interius exiſtentia, virtuti interiori fortiter offeruntur, quibus etiam illa virtus intendit, tunc aliquid videtur eſſe verum ſecundum ſimilitudinem, & hoc naturaliter. Nam phrenetico propter vapores ad cerebrũ aſcendentes, vi caloris intrinſeci, quadam exteriori occaſione apparenter videt, atq; audit multa, quę de ſe abſentia ſunt. Similiter etiam per fortem intentionis conuerſionem, aliquam mulierem excogitando, videtur, quod realiter commiſceatur, ſiue demonſtrent aliquid, aliter quam ſit, & hoc ſecundum varietatem, quod ex parte organi accidere poteſt, ſicut quando humor ſanguineus, vel vapor igneus deſcendit ad interiora oculorum, exteriora videntur rubra, vel propter variationem ex parte obiecti exterius diſpoſiti, vt ſpeculum de chalibe. Quę Demonem in ſuis operationibus velociſsimum ſane non latent, aliquando abſcondentem præſentia,

virtute

virtute ſenſus, & potentiæ impedita, ne per ſenſibile accedat, vel ſpecie ſenſibili impedita, ne perueniat ad ſenſum. Et hoc modo homines reddit inuiſibiles, quod eſſe realiter, ſuperuacaneum eſt credere. Nam Demon de nouo ſpeciem non exhibet, nec aufert, ſed illa quæ erat in phantaſia, ita velociter virtute interiori phantaſiæ, vel imaginatiuæ obiicit, vt credat homo rem verã, ſenſibilem extrinſecus intueri. Quamuis ſecundum Ariſtotelem, ſenſus particularis circa proprium obiectum non errat, ſalua diſpoſitione organi, atq; obiecti. Et cum ſit optimus dialecticæ facultatis indagator, per omnes paralogizando fallacias, genus humanum fallere nõ deſinit, Sic enim Euam fallacia æquiuocationis decepit, in hoc verbo, moriemini, morte ſpirituali, & æterna, qui dixit, nequaquam moriemini, ſcilicet morte temporali, pro tunc. Hoc etiam modo Manfredo in Apulia cũ Carolo Francorum Rege decertanti, conſultus reſpondit. Non non ſuperabit Gallus Appulum. Qui ſe victurũ credẽs, bello coacto, ſuperatus eſt. Namque in hoc duæ negationes affirmant, ſi verum eſt, dum aliquid efficaciter negatur, bis negatio replicanda ſoleret. Et ſic quendam alium Regem. Inimici tui venient ad te ſuauiter, qui pro feſtinanter, non pro benigne accepit, ſicut Rex acceperat. Vt etiam eſt illud Apollinis. Ibis, redibis nõ morieris in bello. Et ſic Demones aperte non fallunt, nec palam mentiuntur, ſed habent mille nocendi modos, & artes. Sicut per ſomniorum illuſionem, aliquas impreſſiones dormitantibus apparere faciunt, vera pro falſis, falſa pro veris admiſcendo, vt animas noſtras in tenebras inducant exteriores. Qui quoniam nobis omnibus in eius locum vnde ceciderat ſublimandis, inuidet, vt nos fallacia prouocet, apprehenſione phantaſmatum facta in dormiẽdo, imaginarias cauſat apparitiones, nullam formam imprimendo, quæ prius per ſenſum aliquo modo ſuſcepta non ſit. Non enim facit cæcum imagina-

ri colores, ſed ſpiritus, atq; humores formis præ accẽptis informatos, mouet ad eam quam prætendit imagina tionem. Et ſicut Angeli intellectum cuiuſuis irradiant, vt quid viſio præindicat intelligere poſſit, vt patet de Ioanne, & Daniele, & imaginationem ſine intelligentia fabricat, ſicut in Pharaone, qui vidit ſeptem vaccas, & ſpicas, atq; ſomnia, & eorumdem intelligentiam, etiam malis immiſſam, vt eſt de ſomnio quod audiuit Gedeon a Madianitis. Sic etiam Demones, Deo permittente, mentes hominum per ſomnia illudunt, vt dicitur de qui buſdam nuribus, quę perſuaſione demoniaca ſeductæ, profitentur cum Diana ſyluarum Dea, & cum Herodiade (quæ ab Herode caput Ioannis expetiit) equitare ſuper quaſdam beſtias, & multa terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire. De quibus patientiſſimus Iob conqueritur dicens, Terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties. Quæ quoniam impotentiã habent ſentiendi, mouendiq;, ligamina ſenſuum vocantur. Quæ dum nutrimentum digeritur, & vapor cerebrum petit, propter caloris, atq; ſpirituum in organis ſenſuum abſentiã, cuius cauſa eſt euaporatio nutrimen ti, non ſine phantaſmatibus, cauſantur. Phantaſmata enim cum ſint quædam imagines, rerumq; ſimulachra, quæ operatione phantaſiæ ex ſpeciebus diuerſis prememoratis, & a ſenſu comuni perceptis fabricantur, cũ ad organum ipſius peruenerint, quaſi in ſpeculo, & velut figura in aqua, in ſpiritu lucido, reſplendẽt. Sicut enim turbata aqua figuræ indiſtinctæ in ea relucent, ſic turba tis ſpiritibus indiſtincta ſomnia habemus, quorum vix, aut raro recordamur, vt ſomnia, quæ, (groſſa fumoſitate ex prima ciborum digeſtione aſcendente) deferuntur ad ſenſum comunem, a quo apprehenſa ad organum phantaſię, nonnunquam ad cellam memoriæ, reuehuntur. Et ſic multorum ſomniorum reminiſcimur. Si autẽ ſenſus comunis ſupra præſentata ſimulachra conuer-

ſus fuerit, vt ſunt quę cauſantur a ſenſibilibus propriis. dormiens ſe videre, audire, loqui, & ſimilia agere ſomniat, ſic etiam ad inſtar vigilantium ſe exercent ambulantes, & cætera operantes: cuius cauſa eſt phantaſmatis fortis impreſſio, atq; ſolutio ſenſus a calore accidentali, qui cum ſanguine cholerico ad caput eleuatus, per organa virtutis animalis deſcendens, ſenſus maxime remotos ſoluit, virtutemq; motiuã ad motũ progreſſiuum excitat. Et ſic ſomniis, ſomniorumq; euentibus cauſas ſubeſſe certum eſt. Omnium namq; ſomniorum cauſa, ſi rem ipſam attentius conſideremus, vel intrinſeca eſt, vel extranea. Intrinſecam dicimus corpus, vel animam ſomniantis, ſæpius enim quæ vigilantis mens cogitauerat, quadam maiori ſollicitudine, ſopitis ſenſibus recogitat, & quæ optat, atq; ſperat, inſomniis videre ſolet. Hinc Ariſtotiles ſomnia ſtudioſorum laudabilia eſſe aſſerit. Hinc etiam de amicis intimis, de quibus magis ſolliciti fuimus, multa per ſomnia videmus: atq; etiã tranquilla dormientis anima cupidæ dubietatis ſolutionem inuenit, & corporis diuerſa habitudo varias ſomniorum cauſas adminiſtrat. Hinc Melancholici res obſcænas, formas horribiles, teterrimaſq; Demonũ ſpecies nonnunquam ſe vidiſſe atteſtantur, maxime autem dum hic humor ab aliqua cauſa motus fuerit. Sic Cholerici de igne, bellorumq; hominumq; excidiis ſomniant. Phlegmatici ſe in aquis, vel niue conſiſtere, aut mel comedere, ſi modò phlegma dulce ad palatum linguę diſtillauerit. Sanguinis autem abundantia incubos ſomniamus, quos Apoplexiæ futuræ nuntios dicunt. Ideo his, quæ multum ſanguinem generant, vt carnes, oua, & vinum abſtinendum eſſe, perſuadent. Quandoq; neceſſitas vires naturales exequi corporis ſui curas coactat, famelicus comedit, ſitibundus fontibus labia admouens, ſatiari nequit. Nonnunquam ad membrorum paſſiones conformes imagines formãtur, ſic pueri dum vrinam emittunt

ſe in horto, vel amæno loco vigilantes hæc operari exiſtimant. Sic & interdum natura dum ſeminalia vaſa alleuiare ſtudet, pruriginem, quam ſemen in membris efficit, in de cenſu deformitas quædam nefarij amplexus, aut baſia comitatur. Ideo tantum honeſtatis habitum hominem poſſe acquirere dicimus, quanta virtute phantaſię malæ diſſipari poſſint, quæ per ſomnia ingeruntur dormienti. Rurſus cauſæ intrinſecæ ab extrinſecis ſæpe mouentur, corpus quidem ab influxu cœlorũ, & circumſtantium elementorum contactu, & anima a Deo, vel ab Angelo. Fieri enim poteſt, vt quas influentia cœleſtis materiæ elementari, plantiſq; formas imprimit, eaſdem cauſet, & in phantaſiæ organo: ſic & elementorum qualitates, quas circundant conſimiliter efficiunt. Et quia nonnulli natalibus conſtellationibus non infimũ locum in cauſandis ſomniis cōcedunt, Aſtrologi per duodecim domorum, & planetarum habitudines, quod quiſq; ſomniando viderit, edicere conantur, aliqui ſomnia ſolius Dei immiſsiones eſſe dixerunt, quod ſi verum eſſet, bruta non frequenter ſomniarent. Quorum magna pars eſt Demonũ, permittente Dei ſumma prouidentia. Namq; inquantum homo reducitur in bonum, & retrahitur a malo, fit bonorum opere, & induſtria Angelorum, qui ſunt medij inter Deum, & homines. Sed indirecte dum homo retrahitur a malo, & promouetur ad bonum, per malos Angelos nobis in exercitium coniunctos hæc operatio fieri ſolet. Quorum proprium eſt tentare decipiendo, vt ſub eorum imperio cadamus. Qui per anthonomaſiam tentatores dicuntur, vt ſciant, & decipiant. Quamuis aliquando tentat vir iniquus, vt Demonis cooperator exiſtat; tentat vir bonus, vt cognoſcat, & promoueat; tentat mundus a principio extrinſeco, ratione obiecti, & caro ab intrinſeco, vt materiam Sathanæ ſubminiſtrent. Sed Deus tentat, vt ſcire faciat alios, vt tentauit Abraham, vt mundo oſtenderet eius obedientiam, &

Iob,

Iob, vt patientiam demonſtraret. Sed Demonis tentatio in fidei detrimentum ſe accomodat, inducendo contrarietatem. Et ita hominem in illa corruptione ſeruatum, affligit, vt aſpectu alicuius delectabilis, tacita cogitatione concupiſcat, vel vt iraſcatur, Deumq; offendat, & finaliter pereat in inferno damnatus: quam tentationem nullo modo appeterem, niſi de victoria certus eſſem. Nam cum non ſine odio Deum habeant, ex malitia homines ab eius ſeruitute auertere quærunt; ſupercilij nimia excellentia, qua diuinam poteſtatem vſurpare nituntur, hominibus inuidentes ex lutea materia cõpoſitis, ſummo dolore charitatis affecti, quam in cœlo conſeruare nequiuerunt, nihil curant eorum met pęnam multiplicari, ſeq; affligi intenſius, ex hominũ perditione. Qui quoniam arma virtutis perdiderunt, dati ſunt Lucifero, vt inſtrumento, & vt vltori diuinæ iniuriæ, & executori diuinæ iuſtitiæ ad eos puniendos. Qui vbi cognouit ſubſellia cœli amiſiſſe, inuidia tactus intrinſeca, ne vnde ipſe cum ſuo concomitatu eiectus fuerat, homo aſcenderet, tota ſua ſpiritus malignitate cępit debacchari, lubrici ſerpentis tegmen induens, ſæuiẽdo mulierem latenter decepit, Deum mẽdacem ſignificando. Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut Dij, quacunq; hora de ligno ſcientiæ boni, & mali comederitis. Tunc ſibi'o ſuę virulentiæ Prothoplauſtos, & nos, qui in eis radicaliter eramus, infecit, atq; totius poſteritatis originem mille nocendi modis, milleq; mortis vinculis corrupit. Qui non ſolum in vita, ſed etiam in morte imaginarie mouendo humores, aliquas imagines, quibus illa fit viſio repreſentantes, vexare non ceſſat. Qui etiam (referente Pythagora) in corpora deſæuit humana: nam inimicitia poſita inter Deum, & hominem, poſt mortem de eius medulla, quæ in ſede venereæ voluptatis, & ſpina dorſi eſt, ſerpens generatur. Qui cerebro deuorato, per oculos exiens, reliquam corporis partem depaſcit.

 O callide

O callide ſerpens, o Luciferi ſatellites, o arma noſtræ militiæ, o ſagittæ Demonum inextricabiles, quàm amara ſunt hæc vulnera recipienti. Cur concupiſcentiæ fomenta ſuccenditis, vbi prius prauæ cogitationis inclinationem conſideratis? Cur ſi veſtræ primæ ſuggeſtioni non reſiſtitur, penitus ad intima cordis, dum non ſentitur, illabimini? Certe vos valde acuti eſtis, atq; in decipiendo non ſine ſollicitudinibus callidi. Quis enim eſt tanta animi fortitudine præditus, vt veſtras tentationes experiatur? Quoniã in præceps ſe dare ſolet adoleſcentia, variarum cupiditatum feruore inflammas. Quia iuuenes in ipſa viuendi alacritate ardeſcunt, iactantiæ præmittis frequentiam. Quia labor floridæ ætatis animos nutrit generoſos, vt recuſetur, ſuggeris. Quia flendi voluntas propter pios effectus, te vincit inuincibilem, oculorum humores exiccas. Quia obedientiæ via, omnia aſpera vincuntur, quæ minus ſalubria ſunt interius facis optari. Quia in oratione langueſcens conuerſionis laudat artificem, frigiditatis torporem ſeminas. Quia vir ſenectute cõfectus, ſuam incuſat naturã, quoniam oculi caligine apprimuntur, aures grauitate oppilantur, capilli defluerunt, facies pallore mutata eſt, dentes numero diminuti ſunt, flatus grauiter olet, pectus pituita ſuffocatur, tuſſiq; ſuffoditur, curuatur ſtatura, genua trepidãt, talos tumor inflat, pedeſq; podagra inflammat. Et quia defectus ſenectutis optime a te conſideratur, nuſquam aditus futurę æternitatis, talia impedimenta diſquirens, comprehendendos eſſe cogitas. Quia ſobrietas noſtri eſt tutela animi, impudicitiæ, & inhoneſtatis nutrimenta proponis. Quia iuſtitiæ perſeuerantia fertur inextimabilis, concupiſcentiæ titulo exornas. Quia iuſtus nihil alieni iuris ſibi aſſumit, vnicuiq; quod ſuum eſt tribuit, & comunem ſeruat æquitatem, aliena rapere, & quæ non ſunt propria concupiſcere, comunemq; vtilitatem negligere compellis. Quia bonitatis

ſocietas

ſocietas vas pretioſum eſt habenti inuidiæ tendis honorem. Quia abſtinentiæ ſectator lautam ciborum præparationem non inquirit,vt carnis vitia caſtiget;alimenta quæ guſtui ſuauiſsima , vt gratiſsima ſint, manifeſtas. Quia homo ad amicitiam copulandam ſe ingerit, vt potiora potius diligat,quam minora,adulationis , aſſentationiſq; modũ paris. Quia omnis creatura illius amori ſe copulare intendit, a quo habet eſſe, & viuere: in intellectu,vt contrarium oriatur, diſsimilitudinem generas. Quia pauper vt conuerſetur, beneficia petiturus aliquem agreditur,per te a diuite reſpuitur. Quia diues neceſsitatem inopis, & infirmi calamitatem intelligit,nec ſubſidia denegat; ſpe gloriæ cupidus,vt hoc agat,cohortaris. Quia doctor alienorum improbitatem patienter ſuffert,curioſitatem non acuendo, ſed charitatis opus accendendo, per te inſenſatus exiſtimatur. Quia in fide exercitatus, quem externa fraus inſtruxit, quod verbis promittit,operibus complet,& quia ſperat, vt ſe deſperet,& ocioſus variis tentetur incomodis,intentas irrumpis excubias. Quia fortis omnia virtutum ornamenta cuſtodit, & inexpugnabilis,quem nobilis prouehit palma triumphi,aduerſus inimicum decertat, vt voluptatibus lumen charitatis extinguat,blãditiis eneruas.Quia corde humilem diuina claritas inflammat, quem neq; proſpera extollunt,nec aduerſa immutant, quodam ambitionis vehiculo,charitatis doces ſimulare honeſtatem. Quia Chriſti ſeruus ſecum ſua nouiſsima cõmemorat, vt qua morte conſtitutos gehennæ flamma comburet,& quos gloria cœli expectat, vt obſcæna conſiderent, infirmitatis pulſas articulos. Quia liberalis ſi dat mutuum, nihil inde ſperat, ſpe gloriæ æternę largiens, vt fraudis venena experiatur,latenter operaris. Quia magnanimus rerum omnium fugit perturbationes,quia ſe extollere ſolet, inflatũ, turbidum, inquietumq; reddis. Quia religioſus libra iuſtitiæ verba examinat,recteq; incedit,

nec infra deiicitur,nec ſupra extollitur,meliori, qua po tes,vteris arte,vt eum diripias. Quia patiens ſua,& alie na mala tolerat,quæ odiſſe, non eſt virtus miſericordiæ, atq; manſuetudinis, non æquanimiter eum excrutias. Quia pœnitens in meliorem commutat ſuæ vitæ regulam,a maloq; recedit, atq; gemitu humilitatis attritus, mentem ratione munit, virtutibuſq; animum roborat; ſæpe eadem in memoriam reuocas,vt reincidat, & cuncta, quæ longo acceperat vlutatu, in minimo conſenſu deperdat. Quia prudens tam quæ ſua ſunt, quam aliena gubernat,nec de facili ad aliqua credenda illabitur, quæ contingere poſſunt,animo cuncta præmeditans, in omnia cautus ingreditur,vt terminos ſuos excedat,inueſtigator rerum latentium oſtenderis. Quia verecundus malum erubeſcit, in vita, & vultu laudabilis efficitur, vt reprehendatur in bono,virtutem tuæ naturę exerces. Quia mulier ab omnibus ſe abſtinet, quibus Deo nō poteſt eſſe deuota, & omnibus virtutibus adhæret,ſine quibus cœlum non aſcenderet, quo nulla res maior, pluris exiſtimatur, cum omnia illius agat conſilio, ſine quo, electorum vita conturbaretur,quot horas ſuæ agit ætatis,tot miniſtras tormenta laboris. Quia male morigeratus,dum carpuntur ſcelera, de peccatis corrigi negligit, & quò maiora vitia arguuntur, eò vitiorum vepribus inuoluitur, ſi non reſecantur, ſemper eadem argumenta facinorum iterantur. Latus panditur ſceleri campus,largus facinori proponitur aditus, ſi tantis criminibus nolumus obuiare, ſicut qualitas eſt paſsionum, debet eſſe remedium peruerſorum. Quos corrigere, cum dementes ſint,nil aliud eſt,quam oleum camino adhibere,ventiſq; incendia ſuperare. Et quia perdifficile ad diſciplinæ formam reuocantur, mallei durioris ictus experiri neceſſe eſt: aliter ſe in ſinu illius inuenientur, qui peccatis gaudet alienis. Diabolus, quia vita hominis in hac peregrinatione, in hac valle lachrymarū ſemper in

aliqua tentatione occupatur, blanditur quotidie,vt decipiat,atq; exterret,vt percutiendo frangat, perſuadet, vt te in Infernum ſurripiat. Et tam diu faculam ignis occultat, donec altera veniat, vt ſimul ambas accendere poſſit. Certe ſi motus cogitationum conſideremus,terribiles ſunt,ſi mouentem, immoderatum, ſi bellatorem, fortiſſimum,fallacemq; admittimus. Tentationum igitur impulſu exerceri, (diuino moderante auxilio) ſemper fuit laudabile. Multos belli exercitium victores reddidit,paciſq; trãquillitas victos. Decertare igitur oportet,vt inopinatos hoſtes leuius perferamus. Et quia certaminis incertus eſt exitus, fortunaq; anceps, Marſq; comunis,in quo aut vincitur, aut fortiter occumbitur. Et noſter inimicus quantò magis nos repugnare conſpicit,tantò expugnare contendit. Semper contra eius impetus reſiſtendum eſt, cui enim non reſiſtitur,maior impetus roboratur. Qui & ſi quaſi inexpugnabilis ſua arma adminiſtret,contendendum eſt, donec ſua arma deponat. Nunquam Sathan alios impulit, vel tetigit, ſed ſuggeſtione perſuaſit. Et illos ſeduxit,quos męror conturbauit, quos illecebræ,& alia malarũm rerum incitamenta conſumpſere,quos gaudium feſellit, quos metus oppreſſit,quos admiratio diſſipauit. Et quoniam omnes cauſarum ſcrutatur effectus, ibi laqueos prætendit erroris,vbi quemquam diligentius verſari inſpexerit. Horribilis eſt iſte hominum conflictus, niſi vſu, & ratione muniatur, ſicut in vnoquoq; prælij certamine,gloriæ vincentis expetitur, ſic per malę ſuggeſtionis aſſiduitatem,æterna fœlicitas expectatur. Semper ad victoriam promptior fuit virtus conſtantiæ, quam ad lapſum animi puſillanimitas. Demon quia vetus,bonus miles ſemper fuit, qui non aperto bello, ſed ex occulto ſemper attentat.Sicut dux expertus in comuni periculo,quamuis inferior, inſidians ſub bonis ducibus, victoriæ palmam ſæpe reportauit. Et ſicut ordinaturus bellum, illa præcauet,

uet, quæ offendere ſolent, vt ſolem, viſum eripientem, ventorum turbinem ſua flectentem, ac deprimentem, & hoſtium adiuuantem tela, pulueremq; oculorum aciem implentem. Sic Diabolus cauet, ne accedente die, id eſt Deo, faueat ſolis mutata conuerſio, & ne fumus, ventorumq; aduerſarij flatus contra ſeipſum oriantur. Tunc enim ipſe affligitur, quando in comuni certamine inuenit aliquem arte, & virtute exercitatum, quæ facile ſolēt prodeſſe, & ſonum præſtare victoriæ. Et tunc nos ſolis, pulueris, turbiniſq; globus obcæcat, quando in aliquo delicti vinculo obſtinati, tanquàm in mari mortuo, Deū quærere formidamus. Et quod eſt in pugnę horrore principalius, dum naturam vnius cuiuſq; attendunt, ſe applicatione præbent, ſuæ naturæ virtutem erigendo, vnde hominem ad peccandum aptum proſpectauerint, exagitando, ſuſcitando, contraria miniſtrando, & ſemper aduerſa ſuggerendo, vt cupiditatem ad voluntatem deflectat, & errorē reincidat, cōſultant. Occulta coniecturaliter perpendunt, nec poſt ſuggeſtionem repetitam abſcendunt, & indirecte ſcire poſſunt hominis voluntatē, id eſt in effectibus, ſicut homines, & tantò ſubtilius, quantò effectus fuerint magis occulti. Sic etiam cogitationes cordium cognoſcuntur, & ſic omnes nos tentare meditantur. Nam prout ſunt in voluntate ſolus Deus. Futura enim vt futura ſunt, nōdum habent eſſe in ſeipſis, & cum omnis cognitio ſit alicuius veri, & eſſe, & verum cōuertantur, impoſſibile eſt aliquam cognitionem futura proſpicientem ſub futuri ratione, cognoſcere ea in ſeipſis. Et cum differentię temporis ſcilicet pręſens, præteritum, & futurum temporalem ordinem deſignēt, quod deniq; erit in tempore, comparabitur ad futurum in futuri ratione. Et non eſt credibile, aliquam creaturam futura hoc modo cognoſcere: cum conueniat hoc ſoli Deo, cuius cognitio eſt ſupra omnem temporis ordinem, ſimpliciq; intuitu ſuper omnia ſimul feratur. Ita quod

quod totus temporis decurſus, & non aliqua eius pars ad diuinam operationem comparatur. Et ea quę per omne tempus aguntur, & fiunt, præſentialiter haud ſine conformitate eius conſpectui ſubdũtur, & ſic omnia intuetur, quę adinuicem ſecundum ordinem præſentis, præteriti, & futuri comparantur: quod non poteſt, cuius intuitus eſt ſub hoc temporis ordine. Sicut ille qui eſt in circuli medio, vt in alta ſpecula conſtitutus, videt ſimul omnes, qui ſunt per circumferentiam tranſeuntes, non ſub ratione præcedentis, & ſubſequentis quò ad ipſum, quamuis videat quoſdam pręcedẽtes, tamen quicunq; ſit, qui per ipſam circuli circumferentiam graditur, in ordine tranſeuntium, non videt niſi præcedentes. In cauſis autem ſuis aliqua ſunt futura ſecundũ potentiam tantum, cum ęqualiter poſſint eſſe, & non eſſe, & dicuntur contingentia ad vtrumlibet. Alia ſunt non ſolum ſecundum potentiam, ſed etiam ſecundum rationẽ cauſæ actiuę, quæ a ſuo effectu impediri nõ poſſunt, & dicuntur ex neceſſitate contingere. Aliqua ſunt & ſecundum potentiam, & ſecundum cauſam actiuam, quæ a ſuo effectu poſſunt impediri, & iſta dicũtur contingere, vt in pluribus. Et quoniam vnum quodq; cognoſcitur ſecundum quod eſt in actu, non autem ſecundum quod eſt in potentia, docente Philoſopho pariter & admonente. Ea quæ ſunt ad vtrumlibet in ſuis cauſis determinate minime cognoſcuntur, ſed ſub diſiunctione, quia erunt, vel non erunt, & futura ſic cognoſcere, nil aliud eſt, niſi noſcere præſentem inclinationem cauſæ ad effectum; quod non eſt proprie noſcere futurum, ſed pręſens. Ea vero, quæ ſunt in cauſis, vt in pluribus, & frequenter agentibus, non certudinaliter, ſed per coniecturalem, cognitionem habemus: certius tamen ab Angelis bonis, quã malis, atq; hominibus. Sed ea quæ ſunt in cauſis ſuis, & ex neceſſitate prouenientia per certitudinem ab homine, & multò magis ab Angelis, quibus

notior eſt cauſarum naturalium virtus, quam hominibus,cognoſci poſſunt. Namq; cum ex ſpeciebus inditis intueantur per ſimilitudines,quæ directe ſunt in eorum intellectu, naturam ſpecierum inſpicientes, ſingularia cognoſcant: & homini voluntas nulli conueniat, a quo eius ſimilitudo elici poſſit: directe nec voluntas,nec voluntatis affectiones, pro vt ſunt in intellectu, Angelis innoteſcunt,ſed cui ſubiacent ſecundum principale obiectum. Nam Demonum cognitio non eſt niſi coniecturalis, ſecundum quam futura in cauſis ſuis determinata non certitudinaliter cognoſcunt. Et cum talium pręcognitio ſit naturalis,ſecundum ortus,& occaſus ſignorũ, quæ eſt iſtius naturæ inferioris, cuius intentio eſt determinata ad vnum, & eſt certa, & ſine impedimento; vt campi pinguedine vberiores bona temperie germinare, ſupra modum non eſt irrationabile dictu, ſicut futuram Eclipſim, coniunctioneſq; aſtrorum per ſpecies cauſarum innatas,prędicere poſſunt. Sic etiam Aſtrologi quędam futura, quæ ex motibus ſuperioribus conſecuntur, in iſtis inferioribus cognoſcunt,quæ cauſarum ſub lunarium defectu impediri poſſunt, & talis cognitio tãtò eſt certior, quantò ad vnum effectum plures cauſæ concurrunt,& virtus cauſarum innoteſcit. Sed futura indeterminata ſecundum cauſam fallibilem, quæ dicuntur ad vtrumlibet, vt ſunt ea quæ dependent a voluntate noſtra, Demones non cognoſcunt, ſed ſolus Deus, & cui voluerit Deus reuelare,ſicut ſupra dictum eſt. Quãuis ſint quędam,quorum cognitio per cauſas naturales,vel ſigna haberi non poteſt, & talia non niſi ſupernorũ ſpirituum reuelatione cognoſcunt. Qui vt eis fidem habeamus per ſomnia futuros euentus reuelare ſolent. Vnde eſt aduertẽdum, quæ dicit Philoſophus in libro,quẽ ſcribit de ſomno,& vigilia, Diuinationem ſomniorum nec eſt contendere idoneum,nec omnino ſuadere. Somniorum quædam ſigna ſunt euentuum, quædam cauſa,

quædam

quædam nec ſignum, nec cauſa. Signa ſunt ea, quę a corporis cõplexione, & habitudine accidunt, quæ etiam medici non negligenda autumant, vt in cauſas ægritudinum facilius deuenire poſſint. Signa etiam dici poſſunt, quæ per reuelationẽ Dei, & Angelorum bonorũ fiunt. Quædam cauſa ſunt, & occaſio euentuum; vnde cùm quidam ſomniaſſet ſe morderi a leone marmoreo, ex his qui in templorum veſtibulis cerni ſolent, die poſtero cum templi fores præteriret, conſpecto leone dicebat, en nocturnus hoſtis meus, & immiſſa manu in os eius, a ſcorpione delitefcente, ibi eſt lethaliter lęſus, his proxima ſunt ſomnia caſualia, quibus extantibus nonnunquam euentus illorum eueniunt. Hæc duo poſtrema ſomniorum genera, ita vanitate, & malorum ſpirituum illuſione circumuallata ſunt, vt ſomniantibus peſtifera, & creatori odioſiſſima, ex ſacris palam eſt. Sic enim quidam Demonum indicatione, quod eſt Dei præſcientiam vſurpare, & peſtifera eorum ſocietate, diuinitatis honore plenos ſe ſimulantes, hominibus aliqua futura coniectant: quibus etiam euenientibus, minime eſt credẽdum, cum ſint valde pernitioſa. Sic etiam Demon primos parentes per diuinationẽ fefellit, dum ipſis ſcientiã boni, & mali, eſu pomi vetiti promiſit, & poſt lapſum humani generis, ferme totum orbem terrarum Idolatria deprauauit. Qui in ſtatu innocentiæ Idolatriæ facile nõ conſenſiſſent, ſi dolos ſtatim Demonum adnotaſſent. Nec ſolum quia futura cognoſcunt, retibus bene diſpoſitis, nos fallere nituntur. Sed propria virtute, quoniam immediate formam ſubſtantialem, vel accidentalẽ, quò ad motum obedientialem, producere poſſunt, ad determinata paſſiua coniungentes determinata actiua, ex qua coniunctione aliquis naturalis ſequitur effectus, vt per tranſmutationes corporalium, alioſq; motus, ſerpentes & cætera animalia per putrefactionem, atq; ſudorem, adhibitis ſeminibus, quæ elementis, plantis, & animali-

bus

bus conuenientiora cognoſcunt, producere poſſunt. Sed tranſmutare hominem in Leonem, niſi quadam illuſione nequaquam: nam iſte effectus non fit ſine formæ ſubſtantialis introductione. Ab illo enim erit inducenda noua forma in materia, a quo totum compoſitum habet eſſe per creationem: qui eſt Deus. Nec potens eſt agens naturale, ſicut eſt tranſmutatio materiæ de forma in formam, corpora tranſmutare, cum non poſſit introduci forma mediate in materia, niſi a ſuo ſimili per tranſmutationem: cum omne agens agat ſibi ſimile, quod eſt agẽs naturale compoſitum ex materia, & forma. Non igitur poſſunt transformare mixta, ſed quadam illuſione in diuerſas ſpecies ſe transformantes, mente capta, atq; præſtigio oculorum interiora ludificantes, tranſcurrere faciunt omnia: & quod eſt vnius ſpeciei, coagúnt, vt videatur alterius, vel in ſe, vel in aliis; in ſe, quia eandem habent poteſtatem ſuper corpora ab eis aſſumpta, quam habent corpora beatorum glorificata. Namq; animæ cum corporibus ſimul glorificatæ, in parua, vel magna diſtantia, vni vel pluribus apparere poſſunt; alias corpus glorioſum obedientiale inſtrumentum principalis agentis, ſcilicet animæ, non eſſet. Sed in aliis, vt in quadam muliere, quæ ab omnibus inſpiciebatur equa, & a Sancto Machario fœmina. Et ſicut non poſſunt tranſmutare, ſic & nec eorum virtute vetulæ ſuis maleficiis aliquam pueris ægritudinem inducere. Sed illa quæ comuni vocabulo dicitur faſcinatio, ex forti imaginatione vetulæ, quo coniuncti corporis ſpiritus immutat, cum nocumento euenit. Quæ quidem ſpirituum immutatio maxime fit in oculis, ad quos ſubtiliores proueniunt ſpiritus, & oculi vſq; ad tale ſpatium determinatum, aerem inficiunt continuum, per quem modum ſpecula ſi fuerint noua, & pura, quandã impuritatẽ ex aſpectu mulieris menſtruatæ, contrahunt. Sic etiam cum anima vetulæ ad maleuolentiam vehementer commota fuerit, effici-

tur

tur eius aſpectus ſecundum modum prædictum, veneno ſus, & noxius maxime pueris, qui ſunt de facili propter corporis tenuitatem, talium impreſſionum receptiui: niſi diuina promiſſione per Phythoniſſam, & alia ſigna ſuperſtitioſa, vt eſt Negromantia, Geomantia, Aeromantia, Chyromantia, Maleficium, Auſpicium, & Spatulantia, Demones cooperentur. Quibus homines decepti; corporaliterq; deportari, orbis terrarum regiones tranſcucurrerunt. Hinc ſcelera ſurrexerunt Religioni oppoſita, & indebitus cultus contra fidei veritatem. Ecce ſuperſtitio. Hinc homines ad colenda ſimulachra promoti, honorificētiam, quæ Regi debebatur, alteri dederūt. Ecce Idolatria. Hinc pacta quædam cum Demonibus placita, ac confæderata, vt præterita, præſentia, futuraq; prædicerent, quando eorum auxilio innitebantur, quos nec moralem, nec diuinam habere virtutem ſciebant. Ecce diuinatio. Hinc ligamina, atq; remedia, quæ medicorum diſciplinam cōdemnat, ad effectus natnrales, qui naturalium agētium virtutem excedūnt, caracteres adhibendo. Ecce vana obſeruantia. Hinc miſeri futura prænoſcere, per ea quæ prænoſci non poterant, laborauerunt. Ecce fortuita, & caſualia, quę per ſe cauſas non habent, & ea quæ dependent a potentia rationali, quæ ad oppoſita ſe habēt. Quæ ſolus Deus nouit, antequam fiant, qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Hinc inuocatio tacita vel expreſſa Demonum cum execrabilibus exorciſmis ad dandas reſponſiones, mortuos ſuſcitantes. Ecce Negromantia. Hinc diuerſis formis, ſenſus perſtringentes, aliquando comparuerunt. Ecce præſtigium. Hinc ſomniantes ſic ſomniis abuſi ſunt, vt ea tanquam regulam ſuarum actionum haberent. Ecce diuinatio per ſomnia. Hinc quia licet vti cauſis naturalibus ad naturales effectus, cum non adhibeantur tanquam cauſæ. Ecce ſigna, & pacta cum Demonibus, cum corpora naturalia ex ſuis formis naturaliter agant, non

autem

autem artificialia. Ideo ad aliqua peragenda, virtutem naturalem habere non poſſunt, neq; ex impreſsione virtutum cœleſtium, inquantum ſunt artificialia, aliquam virtutem ſortiuntur. Quomodo annulus, aut quodlibet ſignum ſub diuturna cœli conſtellatione, ad malum aliquod proficiant, ſi ad pietatis ſtudium, & ad ſpirituale exercitium non reducuntur? Hinc mirabiles ſe exiſtimantes, quia tali ſuperſtitione videntur dotati, qua reſponſiones Demonum inuocatione conſecuntur. Ecce Phytonia. Hinc diuerſis figuris in lapide, vel chalybe multa prænuntiantes, & puncta in terris ſignata cogitantes. Ecce Geomantia. Hinc apparitiones in aqua cũ plumbo liquefacto a virginibus. Ecce Hydromantia. Hinc apparitiones in aere. Ecce Aeromantia. Hinc apparitiones in ingne. Ecce Pyromantia. Hinc Demonũ expreſsio per ſigna in rebus inanimatis apparentia, & in viſceribus animalium in aris Demonum immolatis. Ecce aruſpicium. Hinc vocibus, garrituq; auium, aliorumq; animalium tinnitu, futura prænoſticarunt. Ecce augurium. Hinc volantum motu, animaliumq; aliorum viſu multa coniectarunt. Ecce auſpicium. Hinc hominũ verba ad aliud dicta, & ad aliud ſumpta, vt futura præno ſcerent. Ecce omen. Hinc ex diſpoſitione ſiderum, de futuris euentibus certum factum eſt iudicium, tanquã ſpiritualia omnia cauſis cœleſtibus eſſent ſubiecta, quod eſſet tollere liberum arbitrium, ſicut in hora natiuitatis futuros euentus diiudicarunt. Ecce falſa Aſtrologia. Hinc ex lineis quamplurima prædixerunt. Ecce Chyromantia. Hinc ſigna, & figuras in ſpatulis animantium conſiderarunt. Ecce ſpatulantia. Hinc ad ſcientiam acquirendam per infuſionem, & ad mutanda corporea per extranea remedia, & ad præſciendum fortunia, & infortunia venerunt. Ecce ars notoria. Hinc ea quæ, nec a natura intellectuali ſciri poſſunt, aut fieri, nec a Deo quæruntur, nec a natura fiunt, neq; a fortuna eueniunt, vt

præmedi-

præmeditarentur,ad Demones cucurrerunt. Ecce ſorti legium. Hæc omnia, quoniam ex quadam peſtifera ſocietate hominum, ac Demonum exorta ſunt, omnique execratione fugienda,repudiandaq;, implicite, ſiue explicite obſeruentur,quia Demonibus idolorum cultura tacita,vel expreſſa tribuitur,diuinæ religioni opponuntur. Quia tres diuinæ perſonæ, ac relationes,attributaq;,& omnia quæ in Deo ſunt vna adoratione, quæ latria dicitur,ſicut humana natura, quæ ſemper in Chriſto fuit iuncta diuinitati,adorantur, quamuis humanitas per ſe ſumpta hyperdulia veneretur. Et crux,& eius imago in quacunq; materia fuerit inſculpta, eadē adoratione qua Chriſtus debet adorari: cum idem motus adorationis imaginis ad imaginatum vſq; referatur: nō enim ratione materiæ, ſed quoniam Chriſtum repræſentat,eam rememoratiue colimus. Crucem verò qua pependit, & cętera glorioſę redemptionis noſtræ arma, quæ tactu ſui corporis, ſanguiniſq; ſacrauit, ſecundum comuniter loquentes,in quantum ſunt res quædā Chriſti, hyperdulia honoramus. Qua ſimiliter beatæ virgini,eiuſq; reliquiis,& imaginibus, honorem tribuimus, non tamen ratione ſui, cum dulia deberet adorari, ſed filij, propter quem tantum concedimus honorem. Sed adoratione dulia ſanctos Dei,eorumq; reliquias,& imagines veneramur,non vt ab eis ſpes aliqua ſalutis expectatur, ſed ad eorum memoriam recolētes. Demonibus igitur iſte honor non debetur,cum ſit ligata in eis aptitudo naturalis ad virtutem, quapropter multa nobis largiuntur incōmoda, vt ſunt omnia, quæ ſupra modum commemorata ſunt. Demiſſo mulierum equitatu cum Herodiade,vel Diana,ſociiſq; Vlixis in beſtias mutatis, Arcadibuſq; tranato ſtagno in lupos cōuerſis, atq; Diomedis ſociis in aues transformatis, quæ veritatem certam non habent; multi Demones ad ingreſſum phialæ coercere conati, ſeq; clauſos habere commentati ſunt,

quod niſi Dei virtute ſuperſtitioſum eſt credere. Demon enim ſimulat ſe captum, vt capiat, ſe victum, vt vincat, ſe imperio ſubditum, vt talia credentes ſibi ſubdat, a talibus incluſum, vt illos includat, & ſe tali arte ligatũ, vt talium artifices peccatorum funibus ad inferna perducat. Si enim æqualis præualet æquali, multo minus præualere debet inferior ſuperiori, ſed quoniam inferior eſt homo, quomodo talem ſpiritum ſuperiorem includere poteſt, & aliqua naturali virtute compellere? cum non poſſit etiam a corpore obſeſſo expelli: nam nulla ſubſtantia ſeparata naturaliter pati poteſt a corpore, licet fingere poſſit ſe cogi per herbas, lapideſq;. Non enim verbis, rebuſq; prophanis, ſed diuinis verſutia Demonis iniqua fugatur, & ad aliquid agendũ cõpellitur. Melodię autem virtus afflictionem mitigare poteſt, vt per illa ſenſibilia a Demonibus vexati leuius ferant, nihil agendo in Demones. Qui quoniam ſine naturalibus virtutibus operari non poſſunt, recte conſiderant in ſuis operationibus materiæ corporalis diſpoſitiones, ad tales effectus intentas. Quamobrem lunaticos affligunt, quia cerebrum cum ſit humidiſſimum, maxime lunari operationi ſubiicitur, quæ ſuper humidum habet dominium, & ex ſua proprietate commouere humores. Et cum in cerebro vires perficiantur animales, Demones, qui ſunt ſcientifici, ad certa tempora hominis phantaſiam perturbant, quando cerebrum ad hoc diſponi rite cognoſcunt, namq; eſt magis aptum Demonis actiones in vno tempore, quam in alio ſuſcipere, ſecundum diuerſum Lunæ motum. Sic etiam Melodiæ, vel herbæ multum poſſunt diſpoſitionem corporum, motuſq; ſenſibilitatis immutare. Quæ cum minuant afflictionis perceptionem, alleuiare poſſunt in homine afflictionẽ, a Demone cauſatã, ſine expulſione torquentium. Quorum aliqui in Inferno animas torquent, donec corporibus vniantur, & aliqui in hoc aeris medio tenebris perfuſo alligati, in

noſtræ

noſtræ exercitationis myniſterio dati ſunt,qui nos,non tamen ſupra id quod poſſumus, tentant. Qui ne tunc in Inferno damnarentur,quem pœnalem exiſtimant, ſæpe Chriſtum obſecrati ſunt, nec adeò vt eorum pœna minueretur, ſed quadam ignis æterni exiſtimatione; nam vbicunq; reperiuntur, infernum, ignisq; ardorem ſecũ habent,quo ſemper crutiantur,actione,& motu ſpiritua li ipſius ignis. Sicut enim Angelorum gloria in æternitate, quò ad præmium eſſentiale,vel accidentale, nunquam diminuitur, ſi aliquando extra cœli ianuas diffiniantur, quod aliqualiter in eorum cedit gloriam. Sic etiam in nullo damnatorum pœna leuatur, ſi extra Inferni fines ad tempus ex diuina diſpenſatione mittãtur, cum ſemper videant ignem ſibi ipſis in æternam pęnam præparatum. Et cum iſta viſio ſit immediate affligens, vbicunq; ſunt ab igne infernali affliguntur. Ceu ad perpetuum carcerem damnati,etiam ſi ſint extra,quodammodo anguntur, quia carceris captiuitatem non effugient. Et ſiç ille ignis cũ ſit corporeus,vt diuinum inſtru mentum, non naturaliter per modum corporis adurit, ſcilicet alterando,vel ab igne recipiendo calorem,ardorem,ſiccitatem, & aduſtionem, cum tales corporis ſint paſſiones,& non ſpiritus: nec quia ille ignis ſolum videtur, affligit,nam viſum, vt viſum perfectio eſt videntis, nec quia imaginatur vt nocens,tunc enim pœna nõ eſſet realis,ſed imaginaria, quod eſt a fide penitus alienum. Sed detinendo,impediendo,ſubiugando, & inimicando excrutiat iniquitatis ſpiritus, diffinitiue in vno loco exiſtentes,nam cum eorum virtus finita ſit,ita in vno loco, quod non in alio operatur. Et ſic ille ignis Inferni cum ſit corporeus naturaliter, propriaq; virtute in illo loco diffinitiue tenet incluſos,& alligatos,vt ad alia ſe diuertere non poſſint. Quam virtutem (quoniam quod eſt minoris virtutis ligare non poteſt, quod eſt maioris,) habet vt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ vindicãtis. Sed im-

 pediendo,

pediendo, vel retractando ab executione propriæ volun tatis, etiam dicitur eoſdem ſpiritus vexare, pœnamq; inferre, ne poſſint ſecundum propriam voluntatem operari. Infert pœnam etiam ſubiugãdo: nam ſpiritus cum diuina ſint viſione priui, conſequenter igni cõiunguntur, atq; ſubduntur, locisq; terræ infimæ obiectiſſimis aſtringuntur, ac maxime affliguntur, & ab illo igne frigoris circumſtantis, cæteriſq; tormentorum generibus patiuntur. Sed infert pœnã inimicando: aſpicientes enim, atq; apprehendentes illum ignem, vt nociuum inſtrumentum ſuperioris iuſtitiæ, & per conſequens vt inimicum, interiori triſtitia affliguntur, & anxiantur; nec quia intellectualiter videtur, nocet, nihil enim fit contrarium, atq; contriſtabile intellectui, eò quod intelligitur, ſed inquantum contriſtabile repugnat voluntati inſpicientis. Et ſic agens, qui eſt ignis, fit nobilius paſſo, id eſt ipſo ſpiritu, vt vindex Dei inſtrumentum. Et quãuis non ſit contactus corporalis, ſiue phyſicus, (cum corpus non agat, niſi per contactum, qui ſpiritum tangere non poteſt, cum ſit indiuiſibilis, & careat vltimis, quia illa ſe tangunt, quorum vltima ſunt ſimul vnum,) eſt tamen inter ſpiritum, & corpus, contactus ſpiritualis, atq; virtutis. Sicut motor cœli cum ſit ſpiritualis, contactu ſpirituali tangit cœlum, mouens ipſum per modum, quo dicitur contriſtans tangere. Et ſic ſpiritus Infernales ad animas torquendas deſtinati, quoniam poſt iudicium, animas ſimul cum corpore torquebunt, & corpori non poterit aptari in pœnam conuenienter, niſi corporeum. Pœna non ſolum erit damni, atq; priuationis diuinæ eſſentiæ, quæ reſpondet auerſioni propter mortale peccatum, ſed etiam pœna ſenſus corporaliter, quæ reſpondet conuerſioni ad bonum commutabile. Corporalis autẽ pœna, per corporalia irrogatur, qui eſt ignis corporeus eiuſdem ſpeciei cum iſto, quem nos proſpicimus, qui naturaliter adurit, ſed non per modum detinentis, ſicut

Inferna-

Infernalis, incorruptibilis, & in materia diuerſa, quia immortali, non eiuſdem rationis cum iſto, qui materia deficiente, efficitur corruptibilis. Sed cũ ardore incomparabili, ratione loci, vbi eſt coarctatus, & ratione contrarij frigoris circumſtãtis, ex propinquitate enim vnius contrarij, alterum contrariorum fortificatur, ſicut patet in grandine, qui per anthipariſtaſin generatur, & in aurora ex propinquitate ſui contrarij, ſcilicet radiorũ Solarium fortior facta gelu, eſt media nocte frigidior. Qui etiam intenſiorem habet ardorem ab igne illius mundi, inquantum ſummæ inſtrumentum iuſtitiæ. Nec ſuccenſore indiget, neq; nutrimento alitur, nam flatu illius ſuccenditur, qui talem indidit naturam, vt nutrimento non egeat. Nec lucet, quamuis in ſuis afflictionibus viſis vehementiſsime conturbentur: quem modificat ſecũdum peccata, quæ ſequitur modus culpæ, vt competit ad effectum artificis. Quæ afflictio ſecundum actionem caloris, realiter, & intentionaliter ſpiritibus ineſt, & tantò profundius, quantò illud inſtrumentum agit intenſius. Sed impij, quia ſecundum corpus ſe coinquinauerunt, ex illo contagio corpore rurſus induentur, vt piacula ſoluant ineuitabilia, propter labem, quam traxerunt, quæ caro fiet inſolubilis, vt crutiatibus ignis ſufficiat, cuius natura cum ſit diuerſa ab hoc noſtro, qui niſi alicuius materię fomite alatur, extinguitur, per ſe ipſam ſine vllis alimentis ſemper vigebit, ſine fumi admiſtione; ſed eadem vi, atq; potentia cremabit, vt virtute diuinæ potentiæ, quæ ſicut vult afficit, perpetuum ſibi pabulum ſubminiſtret. Sed quare damnati non conſumentur, atq; ignis corrumpatur, eſt virtus diuina, quæ ſeparat vnam actionem ab altera, cum ſecundum naturam vna ſine altera eſſe non poſſit. Sicut in rubo Moyſi, & in camino trium puerorum ardenti, ſeparauit corruptionem a continua exuſtione, cum naturaliter omne quod diu exuritur, corrumpatur. Seruata naturæ Achadis

pretioſi ratione, qui in igne poſitus incurruptibilis perſeuerat, & ſemel accenſus nunquam extinguitur, & ardens, nunquam conſumitur, de quo erant Athenis duo candelabra in phano pulchritudinis nocte, dieq; lucentia: ſicut etiam patet in ſalamandra, de ebano, de lignotino, de auro, & Aethne montibus flammis æſtuantibus, & ſecundum integritatem permanentibus. Sic etiã Demones, & animæ corporibus vnitæ in illo igne actiuo, qui infrigidari non poteſt, ſuam incorruptionem ſeruabunt. Sed ratio quare iſte ignis purus liquidus, & in aquæ modum fluidus ſit, quia ſecundum peccatorũ menſurã, ſunt data ſupplicia, aliàs commodius dicetur. Nec ſolum in Inferno, atq; in aere; ſed etiam in purgatorio Demones aſſiſtunt, animas de ſuo ſupplicio inſultãtes, facultate torquendi denegata, quoniam non fuit eorum conſenſus, cum venialiter peccantibus, qui habitualiter Deo conſentierunt, cui rationaliter ſubduntur, eos cruciatibus ſollicitare non poſſunt. Nec eſt veriſimile, vt animæ illic detentæ ab Angelis ſuis concinibus habendis, affligantur, immò viſitantur, atq; confortantur, expectantes beatam ſpem illius clariſſimæ viſionis, in quã deſiderant omnes proſpicere. Vnde quam deridenda ſit Apulei ſententia, de Deo, Socratis diſputando, facile perſuadetur. Qui animalium tripartita diuiſione, Deos videlicet loca ſupræma, Demones media, hominesq; infima tenere cõſcripſit. Demonesq; inter Deos, & homines tanquam internuntios agere, ab hominibus petitas res auferentes, & ad ſuperos referentes. Quos etiam eſſe genere animalia, animo paſſiua, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna, in miſeria dicebat, ſicut hominum mortem miſeram, Deorumq; beatã eſſe æternitatem. Quæ omnia a fidei firmitate procul eſſe non dubitamus. Namq; non habemus mediatorem inter Deum, & hominem, niſi Chriſtum. Qui deſcendens ex partibus cœli internis, exuriens, ſitiens, algens, laborans,

rans, humanę ſe fragilitati ſubiecit, ac mortis deniq; vi ſuperata,æternę ſalutis aditum patefecit. Et quamuis ab homine noſtræ infirmitatis carnē ſuſcepit, hominem renouans,propriam diuinitatem non amiſit, & in ſe incommutabilis perſeuerans, non potuit infirmari verbi diuinitas. Et Dei forma ſerui formam induens, carnis infirmitate recepta, nullam humani contagij ſordē omnipotentia,ſapientia,bonitaſq; ſuſcepit. Sed conuertendo nos ad propria,ne vrceolus,rota vertente,forma lancis euadat. Hanc Dēmonum definitionem Auguſtinus, de mente Platonicorum recitatiue poſuit, ſcilicet genere animalia, id eſt genere naturæ, & prædicamenti ſubſtantiæ, natura pulcherrima, quantum ad naturæ ſuæ ſubſtantiam, qui non ſunt bonis turpiores. Nam cum natura Demonum eadem ſit,qualis eſt Angelorum,ſubſtantia rationalis, & incorporea ſemper erunt ſpiritus. Qui ipſius beatitudinis capaces fuiſſent,niſi propria voluntate peccaſſent. Quos ita creauit Deùs in ſui liberta te arbitrij, vt qui ſtare nollet, & a bono diſcere vellet, ex ordine rueret, & quem propria ſtandi voluntas in cœlo retinuit,dilectio Dei ſumma ſeruauit. Itaq; Angeli, & Dēmones,non ſubſtantia, ſed voluntate differunt,ſicut dictum eſt. Illi namq; in bono confirmati,perpetua fruitione lętantur, iſti adeo obſtinati, vt ſint nocendi tā cupidi,vt inſidias humano generi ſemper moliantur. Et ita a iuſtitia æterni Dei ſunt alieni, vt veri hoſtes humanarum,diuinarumq; rerum ſe eſſe demonſtrent, externe, & interne tumore ſuperbiæ,liuore inuidię, & calliditate fallaciæ, de ſublimibus cœli ſuperioris partibus eiecti, in hoc aeris congruo carcere morantes, vtrumq; ſexum in exercitio detinent. Et merito in aere,cū competat naturæ eorum intellectuali naturaliter lucido, ſplendoq;. Sed quatenus eſt medię regionis tēnebris adopertus, competit eorum culpæ perpetuæ, ſed quia eſt nobis propinquus,competit humano generi, ratione

 meriti,

meriti, inquantum in tali exercitio ſpirituali, eorũ tentationibus reſiſtimus. Dicuntur animo paſsiua, paſsionibus, ſecundum Platonicos appetitus ſenſualitatis, concupiſcibilis, & iraſcibilis. Corpore aerea, inquantum ſunt creati de ſubtiliori materia, vt ſubtilius, velociuſq; quam homines intelligere dicantur, vel quia illos Deus poſt lapſum inferiorauit, & fecit eos formas ſubſtantiales alicuiùs corporis deformis, compoſitaſ ex partibus eſſentialibus Et ſic habuiſſent corpora naturaliter ſibi vnita, quod ſi fuit, quod non credimus, factum eſt abſolute ex Dei omnipotentia, non naturaliter. Duratione æterna, die ſcilicet gratiæ, & non natura: Quæ definitio ſic etiam ponitur in decretis de mente Platonicorũ. Quam Theologi vehementer arguunt: cum corpora aerea ſibi naturaliter vnita habere non poſsint, vt vnum ſimpliciter, & per ſe fiat. Nec tale corpus viuere poſſet, cum ab eis neq; formaliter viuificaretur, cum integram ſpeciei naturam habeant, & ſint ſimpliciſsimæ ſubſtantiæ. Vniuntur tamen corporibus formatis virtute diuinitus accepta ab Angelis, vt congruant ad repræſentandum ſuas intelligibiles proprietates. Quę corpora ex aere condenſato eſſe conſentaneum rationi videtur. Qui licet in ſua raritate manẽs, figura, atq; coloribus careat, condenſatus, ſicut in nubibus figurari, atq; colorari poteſt. Per quæ corporum membra ſimilitudinarie vidẽt, non quidem per oculos, ſed inquantum per illos virtus cognitiua eorum ſignificatur. Et ſic ſentire, generare, & & comedere poſſunt. Sicut ſupra explanatum eſt. Nam commiſtio proprie importat ſumptionem cibi conuertibilis in ſubſtantiam comedentis, per digeſtionem cibi deſcendentis ad ſtomaci loca, vt conuerti poſsit in alimentum. Sic per corpora aſſumpta non locuntur, ſed efficiũt aliquid ſimile locutioni, inquantum ſimiles humanis voces in aere formant. Sic etiam corpora animantium omnia ingrediuntur, & ea mouere, quibus ad nutum in

motu

motu obediunt,& omnia ſicut anima rationalis,vel irrationalis extrinſecus exercere poſſunt. Sed obſidentes talia corpora, omnibus corporis partibus non illabuntur; quia ſic de comuni curſu duo ſpiritus creati eſſent in eodem loco, qui adæquate in eodem ſpatio, vel ſitu coexiſtere non poſſunt. Sed alicui humori in animali, puta ſanguini, vel cholerę, in aliqua ſpecie vnionis, vel ad ſui intrinſecam actionem, apprehenſione, vel conſecutione libertatis ex imperio voluntatis, aliter eis corporalis natura non obediret. Et ſicut mouere poſſunt influendo immediate alterationes, poteſtatem habent, videlicet in caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem,& in qualitates localiter motiuas, vt ſunt impetus,atq; impulſus, ſeruatis omnibus eorum affectibus in aliqua rerum tranſmutatione digeſtis. Quomodo enim tempeſtates ſic ſubitas ſuſcitare valerent, atq; mirabiles apparitiones, mutationeſq; agere, lapideſque proiicere, niſi imperio voluntatis, cauſando impulſum, vel impetum in aliqua rerum motione? Sed animæ ſecretiora intrare, non eſt potentia intellectus Angelici, cum dimenſionibus careat, infra quas aliquid contineatur. Sed ſolus Deus per ſuam virtutem, vbi enim eſt virtus Dei, ibi etiam eſt eius eſſentia, cum in Deo eadem ſit virtus, & eſſentia, ſed aliquid ſuggerendo, vt ſupra dictum eſt. Et cum anima ſit quidam ſpiritus vadens, & nō rediens, in obſeſſis animas eſſe defunctorum nullo modò eſt credendum. Nam tales eorum ſunt Demones, talia ſimulantes, quos in vita in exercitium habuerunt, in hoc aere habitantes. Qui neq; animam cum Diis, neq; cum hominibus habent, neq; interpretes, neq; internuntios eſſe, preces ad Deos deferentes, atq; impetrata beneficia hominibus reportantes, niſi Angelos, quos ab exordio natiuitatis in cuſtodiam noſtram, ſingulis ſingulos, ſalutem omnium procurantes, preceſq; ad indiuiduæ Trinitatis eſſentiam offerētes, delegatos habemus.

Nec

Nec verum eſt ex animabus fieri hominum Lares,id eſt animæ bonæ, ſecundũ merita, & Genij,ſiue Laruæ,id eſt animæ malæ, ſecundum demerita, atq; Dij Manes, ſecundum incerta merita. Non enim habet rationem, virtutem incorpoream poſſe in aliam tranſmutari ſubſtantiam, vt animam in ſubſtantiam Demonis. Quem etiam anima conſtare Ariſtoteles expreſſe negauit. Sed quoniam ſe tranſmutare poterant, corpora aeria ſibi formãdo. Gentiles de Genio,& Laribus,Manibuſq; fabulati ſunt.Qui ſe transformantes,aduerſus illos inſaniunt, penes quos ipſa veritas incontaminata eſt. Et cum veritas eadẽ iſtis ſpiritibus nota ſit,odiumq̃; pariat, ſe mentibus illorum inſinuant, inſtigantes eos in furorem, ſe corporibus immergunt,ea occupantes, vt animas deturbent. Qui audito nomine veri Dei,contremiſcunt,& ſe vri, atq; crutiari teſtantur. Et quoniam aliter nocere non poſſunt, iniquis odiis proſecuntur, ſuas exercendo ſæuitias. Et omnes, qui a talium nefandorum nequitia, atq; verſutia ſanati ſunt, Relligioni adhæſerunt, cuius potentiam recto ſenſu perceperunt. Et ideo Deo permittente aliquid contra nos ſæpe moliuntur, vt patientia,cuius ſumma eſt virtus,cõſeruetur. Patiens quia iuſtus eſt,virtute ſolidatur,qua careret omnino,ſi aduerſa non ſuſtineret. Sed qui agit in proſperis, & ea virtute caret,impatiens dicitur, quia aduerſi pati poteſt nihil,neq; innocentiam ſeruare,qua iuſtus perſeueret:ſed potius ea conſequitur, quæ ad iniuſtitiam ſpectant. Et ideo iſtius generis vitia ſectantes, diuitiarum cumulis, potentia,atq; honorum flagrantia redundare,atq; florere proſpicimus,quorum ſunt præmia violenter acquiſita,quæ diu durare non poſſunt. Iſti enim nihil ſapiunt, niſi terrena,quæ omnia voluptate perpendentes,omnes ſuæ vitę actiones ad illam diſponunt. Qua propter innocentiam (quam illa ſingularis maieſtas ab homine deſiderat) neglexerunt. Quæ via cum planitiem habeat,

& amæni-

& amænitate ſit iocunda, dum ſumus in hoc curriculo, illos fructus carpere poſſumus, qui nos ad interitum deducunt, & ad infera deprimunt. Et quoniam illa via delectati ſunt, cum alteram ſe calcare diſponunt, multum laborare neceſſe eſt, vt cœli honorificentia onerentur. Patens eſt igitur iſta via, quæ ducit ad perditionem, & in omni genere delectamenti delectabilis, omnibus illecebris, & opulentia iſtius tranſitoriæ pubertatis abundans, quæ cum omni ſua pulchritudine variabili, vſq; ad vitæ extrema, ab iniuſtitia poſſidentur, vt poſtremò ſit præcipitio omnibus. Non ſine ratione igitur Philoſophi duas vias, alteram virtutum, alteramq; vitiorum eſſe voluerunt, illam arduam, qua peruenitur ad patriã, iſtam planam, qua labitur ad tartara. Illa cœleſtis, aditu difficilis, & aſpera proponitur, vt cum omni ſollicitudine gradiamur, in qua omnes virtutes, qua conſtat noſtra religio, & qua vita noſtra gubernatur, & regitur, relucent. Hæc eſt illa via, quæ ab iſtis ſpiritibus immũdis impeditur, ne meliora acquiramus, & ne ad illam Regiam tendamus, in qua omnis plenitudo gratiæ inhabitat. Quam non apparatu Regio, vel diademate cuiquã, ſed ſummis laboribus, vigiliis, & amaritudinibus, zeloq; rectitudinis, atq; ſudore charitatis agredi fas eſt. Iuſtus ergo quia durum iter ingreditur, contemnitur ab his, quorum voluptas ipſos præcipitat, & a ſua concupiſcentia ſe manuducere ſinunt, quorum rector eſt Diabolus. Qui bono, & malo ſibi præpoſito illud eligunt, quod breue, & caducum eſt, non conſiderantes pro rebus temporaneis perpetua mala ſuſtinere, cum omnia poſſint ab homine, adhibito modo, atq; menſura, ſalubriter temperari. Nam Deus homine facto, omnes animi commotiones ei mirabili potentia adhibuit, & ſicut terra ſuos cultus, capere poſſe virtutem. Et ſicut quaſi decertando ſtellę rapido obuiant firmamento, cõtra inuicẽ elementa confligunt, terræ tremunt, aer quatitur fulminibus,

atq;

atq; procellis percitus, Mare præter apertam, ac vento rum vim rapidam, atq; fluctuum tumores, incertis vicibus alternantes, certos fluxus, ac refluxus habet: & omnia animalia, ſiue humi gradiantur, ſiue in aquis fluitēt, ſiue libero alarum remigio cœlo fruantur, bello vacare videmus, ſic etiam homo, quomodo bona appeteret, niſi mala obſecraret? quomodo iuſtum eligeret, niſi iniuſtū condemnaret? Placeant igitur recta, & honeſta, & quæ melioribus iucundiora ſunt. Abiiciamus voluptatis imperium, obrenuntiemus Demoni, ne nos opprimat imparatos. Excubiæ agendæ ſunt, ne fallat, & omnis labor ſiue recuſatione erit a nobis recipiendus, vt illud acqui ramus, quod nullo modo amitti valeat, omniaq; patienter ferenda pro noſtro imperatore, qui propter palmam vireſcentem nobis ęterna præmia ſeruauit, atq; conſtituit. Iſte enim ad militiam nos genuit, & intento acriter animo in acie, prælioq; ad impetus, & inſidias inimicorum inuiſibiliū adhortatus eſt cuſtodire vigilias, Sed hic hoſtis quoniam expertus eſt, & Dux in bello exercitatus, pro vt natura hominis expetit, debacchatur. Alios iræ, alios cupidinis ſtimulo inflammat, alios voluptatibus immergit, alios falſa implicat religione, cæteriſque amaros virulentiæ ſuę flatus inſpirat, vt eos vincat, & deuoret. Sed ſummus ille rerum opifex, cognita Demonis arte, atq; verſutia, illuminauit nos, cœleſtiq; virtute armauit, vt nos cohibeamus, compeſcamus, & vitia fugiamus, & quæ ſunt ſecundum naturam agamus, vt homini prodeſſe, & non nocere; & vt omnis noſtra actio miſericordiæ munere niteat, & vt indumento charitatis velemur, & nemo nobis illud diripiat, quod ſempiterno emicat ornatu, & omnia recte, riteq; agere, quę ad nos, noſtramq; religionem pertinent. Omnia enim quæ improbe fiunt, ab improbis eueniunt effectibus. Sic igitur flagitiis, ſceleribus, commotionibuſque virtute ſedatis: ipſa ſit nobis ratio, quæ omnia moderabitur,

rabitur, ſcilicet recta facere, Deum noſcere, ſapientiam colere, & quę iuſtitiæ ſunt exercere; & donec quę ad finem media ignoramus, ipſa quadam luminis prætendentia noſcere perſuadebit. Quibus habitis, atque infallibiliter obſeruatis, vitam æternam vltimo poſſidere demonſtrabit.

Dixi.

Quicquid eſt hic dictum, quod non ſit catholice dictum; Sanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritati corrigendum ſubiicimus.

INDEX EORVM QVAE IN HAC ORATIONE CONTINENTVR.

Numero 5.

Incorporea in tria genera diuiduntur.
Si Angelus fuit creatus ab initio, rectus ſicut anima.
Quomodo Lucifer immoderate, ſiue ſe, ſiue beatitudinem dilexit.
Si Lucifer appetiuit æqualitatem Dei, quæ comunicationis, proprietatis, & perfectionis eſt.
Si Verbo incarnato fuerunt comunicata idiomata eorum, quæ ſunt Dei.

Numero 7.

Si Lucifer ſui caſus fuit præſcius.
Si Diabolus ignorando caſum hominis, redemptioniſq; myſterium ignorauit.
Si Incarnatio fuit reuelata tam homini, quam Diabolo.
Si lex fuit omnibus Angelis, vt Chriſtum venturum adorarent.
Lucifer æqualitatem, quæ eſt æquiparantiæ, ſiue commenſurationis nullo modo potuit appetere.
Si peccauit Lucifer, appetendo aliquod commodum in augmentum beatitudinis.
Sicut Angeli qui peccauerunt, iuſtitiam perdiderunt, ſic etiam qui non peccauerunt in illa iuſtitia fuerunt confirmati.

Numero 9.

Si Demones illa dona, quæ a principio habuerunt, poſt

peccatum

peccatum perdiderint.
Si Angeli confirmati in gratia peccare poſsint.
Si in Angelorum natura, perſona attenditur cuiuſlibet.
Quid ſit iniuſtitia.
Si Luciferi peccatum fuit præſumptio, an inuidia.
Lucifer ideo decepit hominem, credens Verbi incarnationem impedire.

Numero 11.

Si Lucifer præeſſe multitudini Angelorum voluit.
Si Lucifer ſe ad propria naturalia conuertendo, decertauit.
Si Demones ceciderunt obſtinati in culpa.
Diuerſitas inter appetitum ſenſitiuum, & intellectiuum.
Diuerſitas inter intellectum, & intellectum.
Diuerſitas inter voluntatem, & voluntatem.
Bellum reale Angelorum ſecundum tria, quæ in eorum intellectuali natura reperiebantur.
Nobilitas Luciferi ſuper omnes alias creaturas, qua propter ſeipſum exarſit.

Numero 13.

Si Diabolus in illo appetitu remanſit, vt ab hominibus adoraretur.
Archangelus quare interpretetur, quis ſicut Deus noſter.
Si Demones de vtroq; gradu ceciderunt.
Liuoris proprietas in Demonibus.
Si Deus eſt cauſa ſtatus Demonum.
Quomodo Deus dicitur aliquos indurare.
Demones ita bonum fugiunt, quod ſemper malo incumbunt.

Quare

Quare Demones non poſſunt Deo reconciliari.
Si Homo potuit reconciliari niſi per hominem Deum.
Angeli non poſſunt ſaluari per alium Angelum.
Quare homo per hominem releuari non debuit.
Vnde trahitur impoſſibilitas Demonũ Deo adhærendi.
Si Demones ſunt capaces gratiæ, quando Deus dare vellet.
Quæ ſit potentia Dei ordinata in agendo.
Quomodo intellectus Angelorum immobiliter ſe habeat.
Angeli reſpectu ſupernaturalis boni in auerſione, ſiue in conuerſione immobiliter perſeuerantes.
Quomodo in hominibus liberi arbitrij facultas mutetur.
Si Angeli actu poſſideant omnium notitiam, quæ naturaliter ſcire poſſunt.
Quare Demonibus gratia non infunditur.
Si voluntas hominis medium teneat inter voluntatem Dei, & Diaboli.

Numero 17.

Quomodo ſe habeat hominis voluntas.
Quid ſit voluntas Dei.
Quomodo voluntas Diaboli eligat.
Demonis voluntas quomodo ſit vertibilis.
Demones quare non dicuntur mali.
Quid ſit appetitus.
Quare malum in appetitu accidere non poſſit.
Quare in brutorum apprehenſione non poteſt accidere malum.
Quare in intellectu diuino non poteſt eſſe malum.
Homo duplicem habet appetitum.
In formis abſtratis vna cognitio.
Subſtantiæ ſeparatę ſolum voluntate, malæ dicuntur.

Voluntatis defectus in Demonibus eorũ peccatum nuncupatur.
Defectus intellectus, rationis, & voluntatis quomodo ſe habeat.
Si Diabolus ſuam pœnam præſciuit.

Numero 18.

Deus quomodo non poteſt aliquid ſibi contrarium.
Quare Angelus non poteſt aliud velle niſi beatitudinẽ.
Quomodo iuſtitiæ non poteſt aliquod eſſe contrarium.
Quid habuerunt Angeli a principio ſuæ ſubſiſtentiæ.
Quot ſunt ordines Angelorum.
Quot ſunt Hyerarchiæ.
Si prima Hyerarchia maiora gratiarum munera habuit, quam media, & infima.

Numero 19.

Qui ſint immediate operantes, quaſi aſſeſſores.
Beatiſſima Virgo ſuper omnes Hyerarchias.
Electi pro diuerſitate meritorum, diuerſas ſedes obtinebunt.
Angeli in comuni officia habentes.
Angeli principes militiæ.
Angeli rectores, & præpoſiti.
Prima Hyerarchia ad laudem Dei dicata.
Secunda Hyerarchia in generali in regimen totius vniuerſi.
Tertia Hyerarchia ad regimina particularia.
Ordo Virtutum ad mouendum cœlos, & reſiſtendũ aereis poteſtatibus.
Angeli ad cuſtodiam Regnorum, & Ciuitatum.
Tertia Hyerarchia ad illuminandum mundum.
Si Deus in mentibus Angelorum ſpecies omnium rerum

rum impreſſit.
Deus poſuit Angelos totius naturæ cuſtodes.
In prima Hyerarchia ſunt Seraphin, Cherubin, atque Throni.
In ſecunda Hyerarchia quid ſint Dominationes, Virtutes, atq; poteſtates.
Quid ſint Demones.
In tertia Hyerarchia quid ſint Principatus, Archangeli, & Angeli.

Numero 20.

Qualis ſit Angelorum virtus.
Vbi Angeli fuerunt creati.
Si Angelus ita eſt in vno loco, quod non poſſit eſſe in alio.
Si ſuperiores Angeli cõmunicant aliquid inferioribus.
Nobilitas intellectiuæ viſionis.
Beatitudo in quibus coexiſtat.
Quomodo intellectus creatus poteſt videre Deum per eſſentiam.
Eſſentia diuina quomodo vniatur intellectui diuino.
Si ex intelligente, & intelligibili fiat vnum in intelligendo.
Exemplum quomodo proportio perfectioris dicatur ad minus perfectum.
Quid ſit eſſentia diuina.
Quomodo viator videt Deum.
Quomodo videmus Deum per ſpeculum in enigmate.

Numero 21.

Quomodo in patria videbimus Deum.
Quomodo diuina claritas excedat formam, qua intellectus noſter intelligit.

Diuina eſſentia quomodo ſecundũ partem cognoſcatur.
Quid ſit videre Deum per formam creatam.
Si homo videre poteſt Deum per ea, quę ſunt a ſenſibus abſtracta.
Si Angelus videt Deum per formam, quæ eſt ſua eſſentia.
Angelus intuitiue videt Deum.
Quando intellectus creatus plures cognoſcat effectus.
Si intellectus creatus cognoſcit omnia, quæ ex diuina eſſentia cauſantur.
Quid ſit ſcientia ſimplicis notitiæ in Deo.
Quid ſit ſcientia viſionis in anima Chriſti.

Numero 22.

Quomodo vnuſquiſq; Angelus plures, vel pauciores videt effectus.
Si alia ſit cognitio rerum in Verbo ab illa per rerum ſimilitudines.
Quæ dicitur actio tranſiens, & immanens.
Si eſſentia Angeli poteſt eſſe principium intellectionis.
Si Angelus ex ſui cognitione veniat in cognitionem aliorum.
Deus omnia cognoſcit in vniuerſali, & particulari.
Quomodo Angelis innoteſcat vniuerſale, atque particulare.
Si Angeli a rebus aliquam poſſint habere notitiam.
Quomodo fiat cognitio in Angelis.
Quomodo aliqua concipitur notitia lumine ſuperueniente prophetiæ.
Quomodo Angelus recipiat ſpeciem aliam a ſe.
Si Angelus habeat intellectum agentem & poſſibilem.
Quare Angeli ſimul intelligere nõ poſſunt diuerſæ ſpeciei exiſtentia.
Si Angeli contingentia in Verbo cognoſcere poſſunt.

Numero 23.

Si Angeli futura ad vtrumlibet ſcire poſſunt.
Vtrum ſi Angeli cogitationes cordium ſcire poſſunt.
Quomodo Angeli per illuminationem mittantur.
Si ſuperior Angelus intuitiue cognoſcat inferiorem.
Si ſuperior Angelus Angelũ poteſt illuminare diſtantẽ.
Quid ſit intuitiue cognoſcere.
Quid ſit cognitio abſtractiua.
Si Angelus per alium Angelum exprimentem poteſt intelligere.
Si Angelus poteſt determinare ſe ad agere, vel non agere.
Si Angelus cauſare poſſit intellectionem vni, ita quod non omni.

Numero 24.

Illuminatio quando habet locutionem ſibi vnitam.
Quomodo Angelus ſuperior loquatur inferiori.
Qua locutione ſuperiores inferioribus locuntur.
Qua locutione inter ſe indifferenter locuntur.
Quid ſit locutio.
Quando intellectus format verbum cordis.
Quid dicatur in Angelis verbum oris.
Conceptus intellectus humani quibus obſtaculis circundetur.
Quomodo Angelus loquitur ſibi ipſi, & quando loquitur alteri.
Quę dicitur lingua Angeli.
Quid ſit Angelus.

Numero 25.

Beatiſſima Virgo a peccato originali præſeruata.

Si vnuſquiſq; Angelus tam corporalium, quam ſpiritualium exemplaria habet.

Quid ſit cognitio veſpertina, & matutina in Angelis.

Si opus primę diei fuit lux, & quid per lucem intelligimus.

Si per illos ſeptem dies, vnus dies intelligitur, ſcilicet ipſa cognitio Angelorum.

Numero 26.

Si opera verbi diuini ordinæ naturæ facta fuerunt, an durationis.

Si luminaria fuerunt facta in actu, an virtute ſicut plantę.

Quomodo intelligatur Deum quieuiſſe.

Si per terram, & aquam materia prima intelligatur.

Dies quid ſit.

Numero 27.

Si naturalis cognitio, æuo commenſuretur.

Angeli triplicem habent de rebus cognitionem.

Quid ſit Prouidentia.

Si vnuſquiſq; habeat ſuum Angelum in cuſtodiam.

Numero 28.

Anima quare dicatur animus, mens, memoria, ratio, ſpiritus, atq; ſenſus.

Ad quid ſit cuſtodia Angelorum.

Si Angeli cuſtoditos relinquunt.

Si Angeli cauſare poſſunt ſpeciem intelligibilem in intellectu hominis.

Angeli quomodo docere poſſunt.

Nume-

Numero 29.

Si Angeli poſſunt noſtram inclinare voluntatem.
Angeli quomodo animæ vniantur.
Demones quomodo corporibus vniantur.
Demones quomodo poſſunt cauſare motum progreſſiuum, & intellectionem exprimere.
Demones quomodo agunt commiſtionem.
Demones quomodo poſſunt agere, & pati, & cauſare generationem.
Si Demonum alter ſit altero potentior.
Quomodo Demones perſuadent.

Numero 30.

Si Demones mouere poſſunt humores;
Quomodo Demones immutant actus nutritiuæ, & appetitiuæ.
Quomodo quattuor elementa, quattuor anni temporibus, quattuor qualitatibus, & quattuor noſtri corporis qualitatibus aſſimilantur,
De humoribus.
Quando ſanguis dominatur,
Quando Melancholia.
Quando Phlegma.
Quid ſit proprietas ſanguinis Choleræ, Melancholiæ, atq; Phlegmatis.
Quid ſit æternitas.
Demon quomodo laqueos diſponat, naturam vniuſcuiuſq; attendens.

Numero 31.

Quid ſit operatio Demonum.
Demonum ſapientia ex vetuſtate, & experientia.

Quomodo Demones nos tentare poſſint.
Quomodo cauſentur ſomnia.
Si Angeli tangendo cor, vel cerebrum ſomnia inducere poſſint.
De hominis phantaſia.

Numero 32.

Si Demones ſecundum naturæ operationes aliquid faciant imaginari.
Si Demon cogitationes malas in voluntate immittere poſſit.
Si eadem ſit natura Demonum, & Angelorum.
De differentia Angelorum.
Intellectualis hominum operatio per quæ proficiatur.
Si tã Angeli, quã homines habeant intelligibile lumen.
Demones quomodo ex parte ſpecierum immutare poſſint hominis intellectum.
Quando phantaſmata virtuti interiori offeruntur.
Phræneticus quomodo videat.

Numero 33.

Quomodo Demon homines reddit inuiſibiles.
Vtrum Demon ſpeciem poſſit de nouo formare.
Demon Dialecticus, Euã fallacia ęquocationis decepit.
Quomodo Demon per ſomnia nos illudat.
De ſomnio cum intelligentia, & ſine intelligentia.
Si mulieres cum Diana, & Herodiade æquitentur.
Somnium ligamen ſenſus dicitur.
Quomodo cauſentur ſomnia.
Somniorum quando reminiſcimur.

Numero 34.
Quare dormientes ambulent.

Si ſom.

Si ſomniis cauſas ſubeſſe certum ſit.
Duplex ſomniorum cauſa.
Somnia ſtudentium laudabilia.
Amicorum ſomnia.
Melancholici, Cholerici, & Phlegmatici ſomnia.
Quare famelicus, & ſitibundus in ſomniis ſaturari nequeunt, & pueri vrinam emittant.
Vnde cauſetur prurigo, atq; amplexus.
Si ex conſtellationibus cauſentur ſomnia.
Si ſomnia ſint immiſſiones Dei.
Quomodo tentat Diabolus.
Quomodo tentat mundus.
Quomodo tentat caro.
Quomodo tentat homo.
Quomodo tentat Deus.

Numero 35.

Lucifer inſtrumentum diuinæ iuſtitię.
Quando prothoplauſtos ſeduxit.
Si ſerpens in ſede venereæ voluptatis in ſpina dorſi generatur.
Modus tentationis Demonum.
Quid ſit prudens, quid iuſtus, quid fortis, &c.

Numero 36.
Quando vitiis non obuiamus de facili in peius labimur.

Numero 37.

Si Sathan aliquos impellat, vel perſuadeat.
Demones occulta coniecturaliter perpendunt.
Quæ ſint differentiæ temporis.
Si Demones futura vt futura cognoſcant.
Cognitio Dei ſupra tempus.

Nume-

Numero 38.

Quomodo Deus omnia videat.
Quæ ſint futura in cauſis ſuis.
Quæ ſint futura ſecundum potentiam,& ſecundum cauſam actiuam.
Quando aliquid cognoſcitur ſub diſiunctione.
Si futura vt in pluribus Demones coniecturaliter cognoſcunt.
Si futura ex neceſſitate prouenientia homines certitudinaliter cognoſcant.
Si voluntas hominis Demonibus innoteſcat.
Demones quomodo cognoſcant futura cognitione naturali.
Quomodo Aſtrologi futura cognoſcant.
Demones per ſomnia ſi futuros euentus reuelare ſoleāt,
Somniorum ſigna, & cauſæ.

Numero 39.

Cauſæ, & occaſiones euentuum.
Quæ ſint ſomnia ſuperſtitioſa.
Si Demon primos parentes per diuinationem fefellit.
Si Demones formam ſubſtantialem, vel accidentalē producere poſſint.
Si noua forma in materia a Demonibus introducatur.
Si Demones transformare poſſint miſta.
Si anima cum corpore glorificato, vni, vel pluribus apparere poſſit.
Quomodo Demones in ſe, vel in aliis quod eſt vnius ſpeciei coagunt vt videatur alterius.
Faſcinatio in pueris quomodo fiat,

Numero 40.

Quid ſit ſuperſtitio,
Quid ſit Idolatria.

Quid

Quid ſit diuinatio.
Quid ſit vana obſeruantia.
Quid ſint fortuita,& caſualia.
Quid ſit Negromantia.
Quid ſit præſtigium.
Quid ſit diuinatio per ſomnia.
Quid ſint ſigna, & pacta cum Demonibus.
Quid ſit Phytonia.
quid ſit Geomantia.
quid ſit Hydromantia.
quid ſit Aeromantia.
quid ſit Pyromantia.
quid ſit aruſpicium.
quid ſit augurium.
quid ſit auſpicium.
quid ſit omen.
De falſa Aſtrologia.
quid ſit Chyromantia.
quid ſit Spatulantia.
quid ſit ars notoria.

Numero 41.

quid ſit Sortilegium.
quid ſit adoratio Latria.
quomodo Deus, & eius attributa debeant adorari.
Si humanitas Chriſti per ſe ſumpta adoratione hyperdulia adoretur.
quomodo Crux,& eius imago adoretur.
quomodo Crux in qua pependit, & alia noſtræ redemptionis arma adorentur.
quomodo beata virgo, & eiuſdem reliquiæ debeant adorari.
quomodo ſanctos, & eorũ reliquias venerari debemus.
quare Demonibus iſte honor non debetur.

Si

Si tranſmutatio hominum in beſtias ſit vera.
Vtrum Demones ad ingreſſum phialæ aſtringi poſsint.
Vtrum poſsint a corpore obſeſſo expelli.
Vtrum Demones cogantur per herbas, lapides, vel aliquam melodiam.
quomodo Lunaticos Demones affligant.
Demones quando hominis phantaſiam pertubent.
Si Demones in inferno animas extorqueant.

Numero 42.

Si Demones in noſtrum dati ſunt exercitium.
Si Demones vbicunq; ſunt ſecum ignem habeant.
Si Angelorũ gloria minuatur, ſi extra cęlũ diffinientur.
Si ille ignis ſit corporeus.
quomodo ignis corporeus agat in incorporeum.
Si ignis naturaliter affligat.
quomodo virtus minor ligare poſsit maiorem.
quot modis ille ignis pœnam inferat.
Si Demones poſt iudicium animas ſimul cũ corpore torquebunt.
quid ſit pœna damni, & priuationis, ſiue viſionis, atq; ſenſus.
Si ille ignis ſit eiuſdem ſpeciei cum iſto noſtro.

Numero 43.

quare ignis infernalis ſit incorruptibilis.
Si ille ignis habeat intenſum ardorem, & quare.
Si ille ignis indigeat ſuccenſore.
Si ille ignis luceat.
Si afflictio ibi ſit realiter, & intentionaliter.
Si ille ignis fumi admiſtionem habeat.
quare damnati non conſumentur ab illo igne.
De rubo Moyſi, & camino ignis ardentis.

De natura Achadis, Salamandræ, Ebani, Lignotini, & Ætnæ montium.
Si ignis infernalis ſit purus, ac fluidus.
Si Demones in Purgatorio aſsiſtant.
Si Demones in Purgatorio animas affligere poſsint.
Si Angeli animas in Purgatorio affligant.
Apulei ſententia reprehenditur de animalium tripartita diuiſione.
Definitio Demonum ſecũdum Apuleum reprehenditur.
Si Demones ſint mediatores.

Numero 44.

Chriſtus mediator inter Deum, & hominem.
Demonum definitionẽ quomodo poſuerit Auguſtinus.
Si Demones, & Angeli ſubſtãtia, vel voluntate differãt.
Quare Demones in aere morantur.
Quare Demones dicantur genere animalia.
Quare dicantur animo paſsiua.
Quare dicantur corpore aeria.
Quare dicantur duratione æterna.
Si Deus potuit inferiorare eorum naturam.
Quomodo vniantur corporibus.
Quomodo videre, ſentire, generare, loqui, & comedere poſsint.
Si ingrediantur corpora animantium.

Numero 45.

Si obſidẽtes corpora, oĩbus corporis partibus illabãtur.
Si monere poſsint influendo alterationes.
Si Demones tempeſtates ſuſcitare valeant.
Si Demones ſecretiora animæ intrare poſsint.
Si in obſeſsis animæ ſint defunctorum.
Si Demones animam cum Diis, hominibuſq; habeant.

Si

Si Demones internuntij ſint, atq; interpretes.
Si ex animabus hominum Lares fiant, ſiue Genij, ſiue Dij Manes.
Si Demones audito nomine Ieſu contremiſcant.
Quare Deo permittente Demones contra nos moliuntur.
Quare vitioſi diuites ſint, & omni honore repleti.

Numero 46.

Quæ ſit perditionis via.
Duæ viæ vna virtutum, & altera vitiorum.
Si via virtutis a Demonibus impediatur.
Quando Deus fecit hominem omnes ei animi commotiones adhibuit.
Quomodo Diabolus debachetur.
Quare Deus nos armauit.

FINIS.

Orationem de natura Angelorum, & Opuſculum de vita, & honeſtate Clericorum, Sebaſtiani Faciutæ Theologi approbamus, & licentiam imprimendi concedimus. Die xv. Nouembris. 1575.

Frater Franciſcus de Piſis Generalis Inquiſitor Domini Florentini.



FLORENTIAE.

In Officina Georgij Mareſcoti.

M. D. LXXVI.

SEBASTIANI FACIVTAE MELPHITANI

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS.

De vita, & honeſtate Clericorum.



FLORENTIAE,

In Officina Georgij Mareſcoti.

M. D. LXXVI.

ILLVSTRISSIMO ATQVE REVER. D. DOMINO IACOBO

DIVIÑA PROVIDENTIA
Cardinali Sabello.

Sebaſtianus Faciutæ Melphitanus
Sacræ Theologiæ Doctor.
S. P. D.

GASPAR Cincius Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Melphienſis, quò primum ad paſtorale officium exercendum a Deo ſibi iniunctum, acceſsit, aciem ſui intellectus mirabiliter erexit, illudq; in primis curauit, vt omnipotentis Dei honorem tueretur, augeret, veneraretur. Atq; Spiritus Sācti afflatu ad Eccleſiæ ſuæ curam animum adiecit, quo diſsipatis erroribus, vitiorumq; vepribus combuſtis, in priſtinum ſtatum illius miræ pulchritudinis, quam omnes ſecuntur, omnia reſtitueret, comune bonum procurans, ſcilicet diſsipata erigere, temerata expiare, ſuperſtitioſa repellere, & omnia reficere, laxas habenas coercere, ſontes plectere, atq; emendare, inſonteſq; vocatione qua vocati ſunt, conſtanter perſeuerare digne ambulantes, ne qui exem-

plo alijs eſſe deberent, ad illud idem alios trahere poſſent. Nec deſtituit ſimul omnes adhortari, adhibendo cum manſuetudine rigorem, cum miſericordia iudicium, cum lenitate ſeueritatem, vt Tridentina Synodus admonuit, ne propriæ ſalutis immemores in deteriora ducerentur, pro virium ſuarum tenuitate, totum ſeipſum adhibuit, vt vnuſquiſq; in alijs ſuæ emulationis ſtimulos ad omnia virtutum genera pertinentes excitare, & allicere, & Deo optimo maximo debitum honorem, cultumq; reddere, atq; animæ ſuæ ſalutem curare poſſet. Et inuocato nomine ſanctiſſimæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; vnicam attendens columnam, ſupra quam omnis fabrica conſtructa fundatur, ſcilicet Fidem catholicam, ſine qua omne ædificium, etiam bonorum operum corruit, atq; proſtratur, more antiquorum patrum, quos colimus, ſtatuit eſſe confitendam. Quæ ſicut vna eſt in Apoſtolorum doctrina, & eandem ſancta Romana Eccleſia conſeruauit, in Diœceſana Synodo Melphiæ celebrata, omnium amplexu fuit ſuſcepta, damnando, & anathematizando omnes Hereſes, quas ſancta œcumenica Tridentina Synodus damnauit, & anathematizauit, confitendo, & attendendo omnia, quæ ſancta mater Eccleſia Catholica, & Apoſtolica confitetur, & omnia quæ de Fide, & doctrina ab alijs œcumenicis Concilijs, & a ſanctis Patribus traduntur, & præcipiuntur, & in ſancta Tridentina Synodo determinata ſunt: Romanoq; Pontifici, ſuiſq; ſucceſſoribus ve

ram

ram ſpondendo obedientiam Hereſes publice deteſtando, & Fidem catholicam publico, plenoq; ore confitendo. Et quoniam de morum integritate plurima verbo, & exemplo idem confecerat, me etiam hunc tractatum ex officina Theologorum recollectum, lingua materna, qua potui, inſcribere iuſsit, quem tibi Præſul Illuſtriſsime dicare operepretium animaduerti, ad quem ſpectat rerum ſummam cognoſcere. Neq; hoc ſcribo, vt innoteſcat quæ fuit noſtri antiſtitis erga ſuũ gregem ſollicitudo, atq; vigilantia, neq; vt teſtimonium declaretur, fama iam prouulgatum eſt, quam nulla potior iuſtificatio repperitur: Sed vt pateat numero me eſſe illorum, qui mira te ſedulitate obſeruant. Et quæ humanitati tuæ debere videor, ſi nondum manum admoui, quàm primum recipies. Atq; cõpertum erit omnibus, qui erit meæ erga te beneuolentiæ affectus, & quæ auctoritas tui clypei protegentis. Nam cum maxima rerum geſtarum nuntia, ac diuinas animi virtutes ad meas aures fama pertuliſſet, ſolertiam ſcilicet tuã, qua õia perſpicis, conſilium, quo prouides, celeritatẽ, qua exequeris, induſtriã, qua potenter agis, fortitudinẽ, qua præ te fers, diligentiã, qua conficis, laborẽ, quo geſtas, integritatẽ, qua iudicas, ſanctitatem, qua viuis; quæ in te vno mirũ immodum eminẽt. [illegible]t cũ auctoritatis multũ haberent, non potui ſane viribus minime ſufficiẽtibus, tanta agredi, quæ oẽm ingenij facultatẽ ſuperant. Omittam generis nobilitatẽ, & vultui quæ ineſt dignitatẽ, præ ſe ferentem dignam imperio maieſtatẽ, reſq; maio-

rum præclare geſtas, & quæ propriæ virtutes late ſplendentia attulerunt. Quæ ſi cum cæteris primariis huius tempeſtatis Principibus comparentur, ita fulgebunt, quale inter ſydera minora matutini luminis iubar ampliſſimum. Qua propter ſi hęc ſcribo, ne quæſo dedigneris accipere, tua enim hæc dignitas requirit, ad cuius munus pertinet ſcire omnia, perpendere omnia, & omnia ſuo fulgure illuſtrare. Et illa animi hilaritate accipias velim, qua vnumquodq; munus etiam minimum accipere conſueuiſti; atq; mittentis animum, qui te mirifice colit, obſeruat, admiratur, ſolum precor attende. Vale decus Eccleſiæ, & præſidium Reipublicæ Chriſtianæ.

Datum Florentiæ, pridie Idus Nouembris. 1575.

SEBASTIANI FACIVTAE MELPHITANI SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS.

De vita, & honeſtate Clericorum.

CAPVT PRIMVM.

SVMMOPERE Sacerdotalis dignitas fuit in Euangelio comendata, vt compertum eſt in iis, qui tali munere inſigniti ſunt, Chriſto Domino dicente, (Vos eſtis lux mundi.) Lucis enim natura eſt, partes poſt partes, tenebrarum caligine adopertas, reddere illuſtres; vt radiorum reflexione paſſim euadat illuſtrior. Tales debere eſſe Sacerdotes, qui nulla poſſunt comparatione adæquari, nemo dubitat. Qui dum fontem luminis imitantur, lucis fulgore pręditi, alios ad illum, qui eſt fons, & origo luminis, tenebras æternę noctis vndiq; propellentes, peruenire doceant. Namq; cum omnium fidelium patres eſſe cenſeantur, in quorum manibus (vt Auguſtini vtar ſententia) Vnicus Dei Filius velut in vtero Virginis incarnatur; ſicut omnes dignitate excellunt, ita morum grauitate, & vitæ honeſtate antecellere vellent, vt omnes alij eorum imitatione proficiant. Sacerdotes enim Duces ſunt, atq; Principes, & cum Regibus habēt affinitatem. Qui ſapientia, & imperio gubernantes, omnia quæ ſub ſole ſunt in adminiſtrando ſuperarunt. Vt

Mercurius Trimegiſtus in antiquis temporibus, & Rex Salem,& alij quamplurimi,qui Reſpublicas a bellorum nequitia redimentes, ſanguinem proprium fuderunt. De quibus Beatus Petrus in ſua cānonica ſermōnem faciens, dixit: Vos eſtis genus electum, Regale Sacerdotium,gens ſancta, populus acquiſitionis; inferendo Sacerdotes honorificentia, atq; dignitate Reges omnes præferre. Quid ſublimius Sacerdotali dignitate? Quantò terrea cœleſtibus, tantò Sacerdotes Regiæ maieſtati ſunt anteferendi. Bonorum operum exemplares,diſpenſatores donorum Dei in aula ſummi Regis, ianuæ per quos omnes vitam ingrediuntur æternam. Tanta eſt ergo Sacerdotij dignitas,atq; præſtātia,vt nulla ſit, vbiq; terrarum, quæ ei cōparari poſſit. Ipſi enim Reges ſunt, atq; omnium Principum moderatores. Quos merito pro propriis bonis auream, & pro aliorum acquiſitione aureolam habere, auctoritates ſanctorum proclamant. Vnde non eſt tanti gaudij tam excelſa tenere,quanti eſt mæroris de ſublimioribus corruiſſe. Et quia pars Domini ſunt, ita dominum amare eſt opere pretium, vt ſummopere amentur a Domino. In iudicio iuſti, in charitate feruidi, in oratione aſsidui,in choro deuoti, conſcientia puri,veraces, ſobrij,prudentes,& in omni virtute diuites,& ea, quæ conuenientiora ſunt facere, & obiicienda timere. Ne dicatur, imponunt nobis onera grauia, quæ ipſi digito tangere nolunt. Qui enim alios de peccatis arguit, ſeipſum primò corrigat, & qui alios ad beneuiuendum manuducit, ſeipſum formam beneuiuendi exhibeat. Nam beneuiuendo, & bene docendo populus inſtruitur,quomodo viuat; bene autem docendo,& male viuendo, inſtruitur Deus quomodo nos condemnet.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

PRÆCEPTVM ſempiternum eſt in generationes veſtras, vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum,& prophanum, inter pollutum,& mundum. Quapropter clerici ſacris literis incumbãt, ne ſecularibus delectati, in Diaboli voluptates incidãt: ſæpe enim earum famulatu ſacrarum ſcripturarum perfectio non attingitur. Principaliter autem futurus alicuius Eccleſiæ Rector, ſcientiam iſtam ſibi veluti arma præparet,quibus inſidias latentis inimici, & gregem ſibi commiſſum ab hoſte cuſtodire poſſit. Vtilis in verbo, & diſciplina, prædicando verbum oportune,importune, obſecrando, increpando in omni patientia,& doctrina, habens in ore ſuo tela veritatis,& in opere luminis efficaciam, vt potens ſit in exhortando,dum Chriſti Euangelium prædicat, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, annũtiandoq; pœnas Inferni æternas, atq; ſummam Paradiſi gloriam. Et zelo iuſtitiæ vitia delinquentium perſequens, & prudentiam in gubernando non omittens. Qui vero talem (vt diximus) minime ſe eſſe exiſtimat, hanc curam nullo modo appetat; ne (vt Ambroſij verbis vtar) locum alterius vſurpare præſumat, præſertim illius, qui fulgore ſuæ ſapiẽtiæ populorum poteſt corda ſubleuare. Nec ea ſuffragio fauoris humani,aut munere, vel aliqua alia emat potentia, ne cum Giezi lepra percuſſus in Inferno damnetur. Sed ſecundum ſpiritum viuens, diuinis muneribus exaltatus, nihil de ſuæ dignitatis pręſtãntia glorietur. Namq; omnibus fuit admirationi,quicquid glorioſum eſt, animi generoſi induſtria, atq; diligentia adeptum eſſe.

CAPVT TERTIVM.

HABENDA ſit ratio diligenter, vt ſobrie viuamus in hoc ſeculo, vt pagina ſacra nos inſtruit, atq; recte cogitemus, quos imitemur, vt eorum ſimiles eſſe poſſimus. Et omnis corruptela malæ conſuetudinis abiiciatur. Et ſi qui ſunt parſimoniæ vectigal ignorantes, conuiuantes quotidie colunt, & ea locuntur, quæ omni carent ſalutis effectu, & multa pariunt incomoda. Conſiderent emendare in melius, quæ ignoranter peccauerunt, & melior viuendi ratio eligatur, vt eam optimam noſtra reddat conſuetudo; tanto cibo, & potione contenti, vt iucunditas ſit ad vires reficiendas in deſiderio, non ad opprimendas in ſatietate. Ciborumq; condimentum lectio ſit ſcripturarum, ſecularia conuiuia fugientes, tabernaſq; non niſi neceſſitate peregrinationis adire. Geſtu, & veſtitu pro virium comoditate, coronaq; inſigniti, vt clericos morigeratos addecet, ordinem ſuum profiteantur. Noſter ſermo ſit purus, ſimplex, & ſale conditus, & præcipue de his, quæ fidei doctrinam ſapiunt Nec malefacta laudibus in altum extollere, quæ debueramus iraſcendo increpare. Cum ſapientibus, atq; prudentibus, tam intus, quam foris noſtra ſit conſuetudo. Nam nulla res magis animos induit præclaros, quam bonæ conuerſationis largitas. Caueamus inſuper ne cum laicis publice in plateis admiſceamur, ne a recto virtutis tramite nos deflectant.

CAPVT QVARTVM.

IN medio mulierum (dixit Eccleſiaſtes) noli cõmorari, de veſtimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri. Concilium Colonienſe attendens quæ in Nicena Synodo de huiuſmodi negocio ſancitã fuerant, quod neq; Epiſcopo, neq; Pręsbytero, neq; Diacono,

Diacono, neq; vlli clericorum omnino ſecum habere mulierem extraneam permittebatur, niſi forte mater, aut ſoror, aut auia, vel amita, vel matertera eſſet. Nos (dixit) ſi tamen hæc tempora tantam ſeueritatem pati non videntur, ſaltem ſuſpectam cohabitationem prohibemus. Vnde cauere debent, qui cum Chriſto in myſterio tranſubſtantiationis conſuetudinem habent, ne cum mulieribus coinquinentur. Quam turpe eſt eiſdem labiis, quibus in altari oſcularis, & eiſdem manibus, quibus tangis filium beatiſſimæ Virginis, oſculari, & tangere membra meretricis. Quam inexpertus dicitur, qui cum mulieribus conuerſari deſiderat. Attendite fratres quæ dicit Apoſtolus. Fornicatio, & immunditia non nominetur in vobis; qui enim adhæret meretrici, cum ea vnum corpus efficitur. Ad euitandam fornicationis occaſionem Licius ſummus Pontifex clericos (niſi cum comite) ad fœminarum tabernacula accedere prohibuit, ac etiam ſub prætextu humilitatis earum domicilia intrare, vel aliqua conditione famulari, morbi corruptionem attendens. O quam peſſima eſt carnis voluptas, quæ cum inimica ſit Deo, atq; virtutibus, perdere ſolet omnem mundi ſubſtantiam. O quam acerbi ſunt fructus eius, certe abſynthio amariores, & gladio ancipiti atrociores: quorum materia eſt ebrietas, rationis ſedem obtenebrans, naturalemq; virtutem, atq; animi robur eneruans. Et ventris ingluuies, illecebram nutriens, aciem mentis, lumenq; intellectus obtundens, virtuteſq; euertere faciens, quorum ſcintillæ corrupti ſunt mores, & mala colloquia. Hæc breuis illecebræ voluptas Annibalem Romanis militibus vincendum præbuit ingenioſiſſimum, Sanſonem ſe duxit fortiſſimum, & Salomonem peruertit ſapientiſſimum, multoſq; e vita decedere, & vltimo ad perpetuum interitum perduxit. Quid hoc vitio fœdius? quid damnoſius illecebra? qua virtus conteritur, gloria in contumeliam

meliam conuertitur,atq; hominum vires expugnantur. Patrem Liberum domare, & a Venere inconceſſa abſtinere,matris ſanitatis eſt abſtinentię. Et dum abſtinentia caro attenuatur, nil proderit, ſi animus inordinate demiſſus prauis moribus atteratur. Ornamentum nobilitatis,& exaltatio humilitatis ſemper fuit pudicitię decus. Ideo compertum habemus, quod maior eſt virtus libidinis fomitem extinguere, quam Demonis inſidias extrinſecus irruentes vincere vel Domini potentia ſubiugare. Pudice viuere ſolamen merentium fuit, religionis decus,atq; augmentum omnis pulchritudinis. Pudice ergo viuamus, impetum libidinis coercentes; eos enim non expectat cœli gloria, quibus non fuit gloriosa mundi victoria.

CAPVT QVINTVM.

MALEDICTVS in ſacris nuncupatur ſcripturis, qui facit opera Dei negligenter. Et precipue, qui Horarias preces perſoluere tenetur, quorum vox in choro ſola murmurat, & mens negociatur in platea. De quibus Iſaias ait; Populus hic labiis me honorat,cor autem eorum longe eſt a me. Ideo vos omnes fratres mei hortor, atq; obteſtor; vt magnis conemur viribus, omniq; affectu animi integritatem noſtram in pſalterio demonſtrare, ne indiſcretam dementiæ notam incurramus. Oratio enim non dicitur perfecta, cuius lingua rogitat, & cordis cogitatio diſſipat, ſed quæ verbo profertur, & intima animi attentione conſideratur. Sic debemus pſallere, vt voce, & arte, omniq; armoniæ oblectamento, animos erga Deum alliciamus auſcultantium. Non ſit vox aſpera,nec diſſona, ſed canora, æque diſtincta, omniq; ſuauitati congruens. Bonum opus ſine timore, ſummæ ſemper libertatis eſt, dummodo aliquis error memoriam, intelligentiam,

gentiam, & voluntatem non decipiat; atq; bonum, re-ctumq; erit, ſi ſine aliquo errore, quæ facienda præcipimus, compleamus, quam ob rem mercedem accipimus. Talis enim operis exhibitio dilectionis probationem exquirit. Et vt quiſquis bonus animæ ſuæ paſtor appareat, quæ fuit cura erga ſemetipſum in publicũ deducat. Quo modo ab illo gubernabitur Eccleſiæ turba fidelis, qui animæ ſuæ eſt ſprætor crudelis? Qui Deo adhærere deſiderat, frequẽter legat, & pie oret. Dum enim oramus, cum ipſo Deo verba facimus, dum vero legimus, Deus nobiſcum loquitur. Et ſicut oratione mundamur, ita lectione inſtruimur: & ſicut cordis verã orationem Deus intendit, ita voce labiorum, ſine mentis afflatu, nõ exaudit. Qui enim a cogitatione ſe neſcit temperare illicita, quomodo auditum, quem verba ocioſa frequentare ſolent, caſtigare poterit? Sicut armoniç virtus ſuauiſſima redditur, quando vox vna, quamuis differens, ob concentus varietatem conſona cognoſcitur: nam ſi mutua contrarietate diſcrepando diſſentiat, non poterit cantũ efficere temperatum. Sic etiam in oratione, (qua premiorum largitas, tutela laboris, ornamentum pulchritudinis, & decus maieſtatis impetratur, ſanitas ægrotantibus incorrupta recuperatur, conſolatio flentibus datur, animæ remedium tribuitur, obſequium Deo præſtatur, Angelo ſolatium, Diabolo ſupplicium, & rebus omnibus ſingulare præſidium. Cor ſerenitatis efficitur, ad cœleſtia mens noſtra eleuatur, laus dicitur, gloria conceditur, ſpes certa ſolidatur, ad cœli penetralia homo admittitur, ſi tepidus in deprecãdo nõ inuenitur,) ſi aliunde cogitatur, ſi ad aliud mens noſtra rapitur, ſi ad ſentienda contraria animus conuertitur, ſi vigilantia cordis eripitur, tota hominis intentio confunditur. Nunquid ſummi opificis auribus hæc oratio commendabitur, ſi ſic intercedere nititur? ſicut illa oratio non exauditur, cui præcator in pſallendo non attendit,

ſic fidelis, & deuota cœlum penetrabit, & vacua non redibit.

CAPVT SEXTVM.

ET ſi tanta cordis attentione, vt omnia fere patrum concilia pie ſane teſtantur, in pſallendo elaborare decet, quanta putamus animi puritate, & munditia cordis intrinſeca, & exteriori deuotione, quanta reuerentia, atq; timore ſacroſanctum miſſæ miniſterium, in quo Filius Dei in altari per ſacerdotes quotidie immolatur, & ſumitur, peragendum eſſe? Probet autem ſeipſum homo (inquit Apoſtolus) & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit. Ideo vt hanc incuriam a nobis penitus remoueamus, habitu corporis decenter præparato, tota mente, omnibus viſceribus, & maiori qua fieri poſſit munditia, & deuotione, nos interius, exteriuſq; coronemus, muniamus, exornemus: & illam hoſtiam, qua Deo reconciliati ſumus, pro peccatis frequenter offeramus. Sed qui quotidie hoc Eucariſtiæ ſacramentum percipiunt, videant, ſi voluntatem peccandi habeant. Tales enim non purgantur, ſed potius tali perceptione grauantur. Vnde dicit Auguſtinus, Quotidie Eucariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo, omnibus tamen dominicis diebus ſuadeo, & hortor, ſi mens ſine voluntate peccandi ſit. Magna igitur cordis contritione, & lachrymarum flumine, atq; inenarrabili mentis, & corporis caſtitate iſtud diuinum, celeſteq; myſterium celebrandum erit. Vbi Chriſti caro in veritate ſumitur, & in ſalutem populi partitur, vbi Chriſti ſanguis in veritate bibitur, & in ora omnium Chriſtianorum funditur, & merito noſtræ reconciliationis ſumma infimis, infima ſummis coniunguntur. Vbi latet ille veriſſimus Deus, qui vbiq; totus

eſt,

eſt, vbiq; præſens,tenet omnia, implet omnia, complectitur omnia, excedit omnia, circumplectendo omnia, implet omnia:implendo omnia,circumplectitur omnia: ſuſtinendo omnia,excedit omnia; excedendo omnia,ſuſtinet omnia. Intra per ſubtilitatem,omnia penetrans, extra per magnitudinem, omnia circundans, ſupra per potentiam, omnia regens, infra per ſubſtentationem, omnia continens. Et ſiue ſit ſuperior regens, ſiue inferior ſuſtinens, per ſubſtantiam ſuam incircumſcriptam eſt omnia comprehendens. A quo dum homo ſe auertit, corruit,dum ſe conuertit,reſurgit,a quo dum recedit,perit,dum redit, reuiuiſcit. Quem cum diligimus, omnia reperimus, cum amamus, non laboramus, dum quærimus,nunquam deficimus,dum ſitimus,potamur,dũ eſurimus,paſcimur,dum ſequimur, vita noſtra ad ſuum recurrit principium,ſuæ redditur origini, ſuo iungitur bonitatis initio. O admirabile ſacramentum,in quo Deus pater omnium eſt, qui vt amorem ſuum noſtro copularet, intemeratæ Virginis deſcendit in vterum.] Qui ergo indignum ſe eſſe exiſtimat, ad hoc ſacramentum non accedat: namq; ad emundationem non proficit, quod maligna conſcientia percipit. Qui intus Nero eſt, & foris Cato, & ſanctum ſe reputari cogitat, videat, ne cadat. Non licet enim ſolum voce ea,quæ ſunt iuſta prætendere,ſed operibus adimplere. Non licet ieiunio corpus conterere, & ambitione aciem mentis extollere. Non licet deuotionem exterius promittere,& malitiam cordis interius depingere. Sic enim quærentes Deum nunquam inuenire poſſunt. O putrida tabes hypochriſis,te licet ab omni germine reſecare,quæ cum mala ſis, bona omnibus vis apparere; cum radix, & forma vitiorum exiſtas, aliorum cernere defecta non deſeris. Cur ad hoc tantum ſacramentum accedis Tinea ſanctitatis? cur ſimulas vultum fallacia deprauatum? Non licet Lupo pelle ouina tecto,præſepia intrare armentorum. Qui

quoniam nõ habet vnde oblectetur intrinſecus, aliquid rapere quærit latenter exterius. Non eſt hæc vera deuotio, ſed quæ omnem naturæ humanę vſum deuotione bonæ tranſgreditur voluntatis, cui quoniam feruor charitatis ineſt ſuauiſſimus, quem mens, quia intus cohibere nõ poteſt, foris quodam certo manifeſtat inditio.

CAPVT SEPTIMVM.

CVM omni ſollicitudine, atq; induſtria inuigilare debet, cui eſt cura de onibus. Nam non eſt ex animo delenda Ezechielis ſententia, de paſtorum opera, erga ſuos greges habenda, cum dicat. Paſtores audite verbum Domini, pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meę in deuorationem omnium beſtiarum agri, eò quod non eſſet paſtor, neq; enim quæſierunt paſtores gregem meum, ſed paſtores paſcebant ſemetipſos, & gregem meum nõ paſcebãt. Ecce ergo requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam, vt vltra non paſcant gregem meum, nec paſtores amplius paſcant ſemetipſos. Et quis tali in admiratione conſtitutus, non horreſcat? Quis talia perſpicuitate intellectus conſiderans, intollerabili metu non cadat? Certe in animarum cura, non eſt mediocre pondus, ſed grauitatis multum, & quantò hoc plus coniectura conſequor, tantò in coniectura deficio: timore corripitur animus, nec ſitas in ſe rationes habet talia cogitando. Nam cum diſpar ſit voluntas omnium, & potentes, & infirmi inæqualia deſiderent. Sunt quidam qui ſciunt, poſſunt, & volunt præeſſe, quod charitatis eſt, vel ſuperbiæ. Quidam qui ſciunt, poſſunt, ſed nolunt prįeeſſe, quod eſt humilitatis, vel inertiæ, quidam qui nec ſciunt, nec poſſunt, ſed volunt præeſſe, quod cupiditatis eſt, atq; ſtultitiæ. Quidam vero, qui nec ſciũt, nec poſſunt, nec præeſſe deſiderant, quod eſt diſcretionis,

nis, ſummæq; Prouidentiæ. Nam quantò honor eſt maximus, in tanta maiori ſollicitudine haberi debet, & quantò aliquis in maiori cura verſatur, tantò maiori conſtituitur periculo, & quantò alicui plus creditur honoris, tantò plus exigitur grauitatis, ita vt motus, greſſusq; diuini exiſtant, & notabiles ſint eius operationes. Nam cum ſint quidam paſtores beneuiuentes, & maleuiuere permittentes, exemplo quidem præcedunt, tamen quia errantes non corrigunt, delinquunt, quia certi eſſe deberent, quod nihil eis ſua iuſtitia ſuffragatur, de quorum manibus anima pereuntis exigitur. Sunt quidam alij maleuiuentes, ſed ſibi ſubiectos beneuiuere cogentes, hi errantes reuocant verbo, ſed fortes, recteq; incedentes occidunt exemplo, ſed maleuiuēs, & ſibi ſubiectos maleuiuere permittens, cauſa eſt ſuæ, & alienæ ruinæ. Qua de re videant Sacerdotes, vt virtutibus omnibus decorentur, omniq; bonarum artium ſtudio exornentur, vt luce clarius innoteſcat, quibus operam dare ſit neceſſarium. Nam ſicut Medicorum ſcientia non arte, ſed bonæ valetudinis notitia probatur, ſic Rectoris officium, nō arte, ſed qua vtitur ratione laudatur. Quia in ea cogitatione, curaq; verſatur, vt quid res ipſa velit adorari poſſit, totum ingenij acumen ad bona amplectenda, & reiicienda contraria componat, vt cognita, perceptaq; virtute, á mundi obſequio, corporiſq; indulgētia diſcedat, voluptatis imperium, ſicut vinclum mortis effugiat, in regno enim voluptatis virtuti non eſt locus. Prudentia Vrbes reguntur, lento gradu, verbis blandis, ſimulataq; amaritudine Ciues domantur, ſolertiaq; morbi natura cognoſcitur. Qui ſpiritualibus præeſt, parem curam, & rerum Prouidentiam nō ſuarum ſolummodo, ſed alienarum habere debet. Non omnibus plene ſpiritualia dona ſunt tradita, ſed his qui vices Apoſtolorum gerunt. Et qui talia deſiderant, primò diſcutiant, ſi vires, vitæq; ſeries ſpiritualibus ſatisfaciant.

Oportet gubernantes, vt ouium diligenter præſepia, & pabula curent, ne aliqua contagij læſione contaminentur. Infœlix enim dicitur, qui legatione ſui miniſterij non bene fungitur. Sint oneris ſui memores, vigilantię curam circa Eccleſias ſupportãtes fideliter, & in his quæ eos exercere addecet, cum omni ſollicitudine exiſtant. Nec pigeat oppreſſos in tribulationibus ſuis frequenter viſitare. Relligio enim munda, & immaculata hæc eſt, vt Diui Iacobi ſentẽtia nos admonet, Viſitare populos, & viduas in tribulationibus eorum, peccata delinquentium diligenter attendere, deinde ſeueritate, atq; benignitate corrigere, & talia perpetrantes a via ſcelerum declinare. Peccantes coram omnibus argue dicit Apoſtolus, vt cæteri timorem habeant, ſicut infirmitatis humanæ quærit auxilium. Sicut enim delictorum occaſio poſtulat, debet eſſe modus, & ratio curatorum, & ſicut diſſimilia ſunt peccata, diſſimilia ſunt danda remedia, vt a peccatis terreantur, formam beneuiuendi dando fidelibus, vt cui bonos cohortari, maloſq; caſtigare commiſſum eſt, ſe immitandum ſuper omnia exhibere poſſit. Sancte igitur, pieq; viuamus, & ſecundum mortem viuentes arguere non erubeſcamus, ne de noſtris manibus anima illius quæratur, qui in bonũ admonitus, erat aptus reuocari, tacenteſq; cum illo in inferiora ruamus. Qui ſicut ſumus cæteris ſublimiores, ita maiori ſcientię abundantia, (qua poſſimus ſub imperio noſtro vitam degentes inſtruere) redundare debemus. Audiamus eundem Prophetam. Si impio (inquit) non locutus fueris, vt ab impietate ſua ſe cuſtodiat, & ille perierit, ſanguinem eius de manu tua requiram. Et quis eſt tam durus, tam ferreus, tamq; crudelis, quem iſte ſermo nõ terreat? Magna nempe eſt mortalium ad mala propenſio. Summo labore inuigilent paſtores, vt virga, & verbo continue delinquentes corripiant, mediæ charitatis ratione ſeruata, pauperes foueant, quod perierat, requirant,

rant,populi cętum cohartationibus ſubmittant,bonoſq; mores accendant,pro vt res indiget, & ratio perſuadet; & ea omnia ſummo ſtudio,ſummiſq; vigiliis agant,quæ ad piiſſimum ſpectare paſtorem videntur.

CAPVT OCTAVVM.

BONORVM auctori inhæreant, qui populo præſunt, vt ſumma laude, & clementia afflictis opem ferentes,a periculis homines liberare poſſint. Ne ſicut cæteri, victum negociis quęrentes inhoneſtis,mundi doloribus ſe ſocios tradant. Quia reſpicere deberent ſcriptum eſſe, nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus negociis. Et ſi ad ſectandos peccatorum nexus humana fragilitas nonnullos inclinat, animaduertant,vt ab illicitis ſe deterreant; & ſicut a facie vene noſi aſpidis vniuerſa crimina, quæ mortem pariunt deteſtentur. Nam quibus oportuno verbum non proderit, importune virga iuuabit. Vbi ſanguis effunditur humanus non interſint,nec ludis vacent obſcænis. Quam va num eſt,qui alios reprehendere vellent,vanis ſpectaculis intereſſe? omnibus ſit amori verecundia,cuius ſocietate redditur vita noſtra tutior, & modeſtia in habitu, & inceſſu ſanctior. Omnibus iuncta ſit pietas, ſine qua bonitas non poſſidetur, & omnis virtus dilabitur, iuſtitiaq; crudelitas ipſa efficitur. Omnibus ſit cordi manſuetudo, quæ cum ſit ornamentum bonorum omnium, quicquid ſub vtroq; mundi ſtatu repperitur, libra ponderat æquali. Omnibus ſit pax, ſocietaſq; humani generis,vt proficiant exemplo,quos non poſſunt caſtigare flagello. Nec propter inanis gloriæ cupiditatem, aut ſpe futuri beneficij,vel ſupremi honoris id agamus, ſed propter merita,quę clariſsimis viris deferuntur,& dantur. Nec fiſſos tranſeamus limites, quod licet nemini,turpitudinem fugiamus,qua nihil eſt deteſtabilius, rationem

In expectandis rebus, atq; fugiendis proſequamur, mediocritatemq; feramus; amorem, & amicitiam, quę ad vnum tendunt, ſentiamus, vt vnum efficere poſsimus: inceſſum natura informet, naturam induſtria dirigat, vitam fides muniat, ſcientia mentē regat, ſobrietas quod vitæ, & mentis eſt componat. Non luxuria defluamus, nec delicate, ac molliter viuamus. Non aſſentatores, quibus nulla maior peſtis, non facinoroſi, ſed animi liberalitate omnium beneuolentiam nobis conciliemus. Non furioſi, quibus nihil leuius, non auari, quibus neq; pecuniæ modus eſt, neq; ſatietas: mente, & opere ſimonię labem deuitantes, ſicut gratis accepimus, æquo animo ſacramenta conferamus, nihil petendo, nihilq; deſiderando. Et ne procliuitas nos fallat, diligenter illud Diui Hieronymi quotidie tota mente examinemus. Semper aliquid boni facito, vt te Diabolus occupatum inueniat, & ſic rationem beneuiuendi conſequemur. Meminiſſe velimus etiā, ne aliquem ſermone offendamus. Et quod fuit peculiare Lacedemoniis, ſcilicet ſermonis mediocritas, ita feramus, vt ab ea relligione non arguamur. Nam maledicentia morbi intrinſeci eſt experientia. Virtutis premio contenti, contemplationi incumbamus. Et illud paſsim amare venemur, quod vitium fugere omni tempore docuit. Maioribuſq; noſtris parere ſine murmure quæramus, nam non ſolum obedientiæ laus fuit parere maioribus, verum etiam clementiæ, atq; magnanimitatis documentum. Et ita radiis ſolaribus inuoluti, vitam ducamus, vt ſi propter aliquē ſeditionis effectum, in tenebras eiiciamur, fulgorem noſtri luminis intrinſecum non amittamus. Falſa enim rumoris calamitas cito opprimitur, & vita poſterior indicabit de priori, qualis erat rumoris effectus.

Eiuſdem

Eiuſdem ORATIO in Concilio Diœceſano recitata.

Præſidente Reuerendiſsimo Gaſparo Concio Epiſcopo Melphienſi.

Ad Illuſtriſ. atq. Reuerend. D. D. Ptolomeum Gallicum Cardinalem Comenſem.

QVANTOPERE ſit neceſſarium noſtræ Chriſtianæ Reipublicæ, quãmue ad cõſeruandam, perpetuandam, ac pie, relligioſeq; colendam ortodoxam fidem interſit, ſanctorum patrum cætus, & concilia conuocare, eaq; ex comuni omniũ ſententia peragere, nõ ſolum id in ſacris literis clariſsime, apertiſsimeq; patet, quæ ex illo perenni, & vberrimo diuini numinis omnium ſcientiarum fonte manarunt; verum etiam in multis hominum monumentis perſpicuum eſt: quæ Spiritu Sancto præeunte, ac docente tradita, & conſcripta ſunt, atq; ad vtilitatem, & commodum omnium Chriſtianorum in lucem edita. Nam ſi omnium patrum concilia diuino ſpiritu edita enarrare vellem, longa nimis eſſet oratio. Sed tandem ad Tridentinam illam Synodum diuinitus inceptam, ac rite, & recte Spiritu Sancto prȩeunte congregatam veniamus, de cuius amplitudine, & maieſtate, nunquam ſatis pro dignitate, ac merito dici poteſt, nulla omnino hominũ ingenia eius laudem oratione dicere poſſunt. Nam quæ illic tradita, conſtituta, & ſancita ſunt, proculdubio ex diuino ſpiritu emanaſſe exiſtimãdum eſt. Namq; omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a patre luminum. Certe ſole ipſo illuſtriora, & clariora ſunt (ſi recte perpendamus)

quæ habita ſunt aduertendos homines, ab deteſtando errore, atq; ad abolendas falſas Hereſis opiniones, & dogmata, quæ in illa noſtra tempeſtate oriebantur. Ex quo factum eſt, vt multi patres in Spiritu Sancto recte, ac rite congregati, in vnum conueniere, vt de falſis quorundam opinionibus diſceptarent: in quo ad formandos animos, ad pium, & ſalutiferum Chriſti cultum, & ad componendos mores tantum illi pij, ac ſanctiſsimi patres, cœleſti doctrina imbuti, ac diuino afflati ſpiritu valuerunt, vt vniuerſam Dei Eccleſiam vbiq; terrarum reformarent, ſtabilirent, ſanctiſsimiſq; preceptis erudirét. Et inter cætera ſaluberrima dogmata, & ſancta inſtituta, quæ in eadem Synodo prudentiſsime, ſapiétiſsimeq; conſtituuntur, & præcipiuntur, illud vnum eſt, vt prouincialia concilia tertio quoq; anno habeantur. Quemadmodum his in ſuperioribus annis Synodus illa prouincialis Sipontina conuocata, & celebrata eſt. In qua Illuſtriſsimus, atq; Reuerendiſsimus Ptolomeus Gallicus Cardinalis Comenſis, Dominus, & noſter venerandus protector, tanquam benigniſsimus pater interfuit, & plurima præter ea, quæ ad nos, noſtramq; vtilitatem pertinent, moderatus eſt. Quam ob rem quæ illic confirmata, & ſancita ſunt, de renouando, ac reſtaurando Chriſtianæ Reipublicæ ſtatu, hanc præſentem Diœceſanam Synodum quotannis fieri confirmauit, vt decretum eſt in Tridentina Synodo, in vnaquaq; Diœceſi a Reuerendiſsimis Epiſcopis, Presbyteris, cęteriſq;, quos decet intereſſe celebrari. Qua propter ad te Gaſpar paſtor vigilantiſsime oculos, atq; animum conuerto, totamq; hanc meam refero orationem: teq; obſecro, atq; obteſtor, vt in præſenti Diœceſana Synodo ea conſtituas, ſancias, atq; obſeruanda proponas, ſancta Dei, Diuorumq; emulatione, quæ ad animos totius tibi commiſsi gregis conferant, & conducant. Deinde ea mandes, atq; præcipias, quę ad eruditionem noſtram, atq;

doctrinam comparandam ſummopere proficiant. Et vos omnes Reuerendiſsimi Patres, & fratres, cæteriq; hic in vnum congregati, maxime conſolari debetis, & omnipotenti Deo gratias agere, qui in hac noſtra diœceſi talem patrem ſuſcitauit benigniſsimum. Qui tanquam roſarum odor ſuauiſsimus in agro ſurgentis Auroræ; ſuæ omnibus dat incrementa virtutis, & quod in hac tempeſtate in Eccleſia ſua tam præclaros voluit eſſe paſtores: qui Hereticorum calumniis ſtudeant obuiare, & immaculatam ſponſam Chriſto Domino exhibere, noctiſq; vigilias ſuper gregem ſibi commiſſum cuſtodire non modica virtutis minerua. Iſtis igitur paſtoribus laus, & gratiarum actio ab vniuerſa debetur Eccleſia, qui pro ea ſanguinem proprium non curant effundere, vt ſuper cœli radium triumphatrix eniteat. Sed o ſplendor paternæ gloriæ, qui ſedes ſuper Cherubin, & intueris abyſſos, lumen veridicum, lumen illuminans, lumen indeficiens, infunde lumen ſpiritus, vt hi, qui in nomine tuo ſunt congregati, ſyncero corde confiteantur te Deũ trinum, & vnum, paſſum, & ſepultum, deſcendentem, & aſcendentem; vt in vitæ, & morum honeſtate floreãt, & maneant, & vt veri Duces Dominici gregis ſudore charitatis, & zelo rectitudinis ſuccenſi, fidem defendãt, & eam in cordibus aliorum proprij ſanguinis effuſione plantare non dubitent. Sed o ſumme Deus omnium creator, terribilis, & fortis, iuſtus, & miſericors, qui ſolus es bonus, ſolus iuſtus, & omnipotens, quid boni, quid ſinceri, quid deniq; recti in eo homine eſſe poteſt, qui in ſumma rerum omnium ignoratione verſatur? Quid melius, vberiuſq; quam literarum ſtudia excitare, augere, & ad exitum perducere. Certe ignorantia eſt omnis eruditionis expers, & mater omnium errorum. Virtus etenim, atq; eloquentia cuius ſtudio omnes tenẽtur, vſq; ad cœlos gloriam habet: virtutis exercitatio præcioſa poſſeſsio eſt habenti, & iucundiſsimum

ſpectaculum his,qui in ipſam incidunt. Diuitię inſtabiles ſunt, & mundi gloria facile mutatur, ac circumuertitur, & opera per artes effecta vna cum tempore dilabuntur,abſoluuntur, ac finem ſortiuntur. Virtus ſalutaribus, honeſtiſq; comitata ſtudiis ſacerdotium comendat, coronam exornat, dignitatem nobilitat, & ad omnipotentis Dei cognitionem nos adducit, atq; ipſius amatores efficit, relicta morum prauitate, & inhoneſto vitæ habitu, atq; omnis leuitate ſermonis. Te igitur Reuerendiſs. Præſul precor, atq; iterum deprecor, vt hunc gregem tibi commiſſum integritate,virtute, ac ſtatu meliorem reddas,atq; tuos ſubditos vita, & honeſtate præclaros honore, laudes,ac diliges,virtuteſq; omnes proponas, vt in illis proficere poſsint, vt ſcientia,& literis eruditi,atq; edocti,recte, & ſine aliquo errore Deo Optimo Maximo præcipue, deinde Sanctæ Romanæ Eccleſiæ inſeruire, & tibi Reuerendiſsime Antiſtes obedire valeant.

Dixi.

Eiuſdem DE PHILOSOPHIAE, ET Theologiæ nobilitate Oratio.

QVANTA ſit Philoſophiæ dignitas, atq; præſtantia, ex eius ſimplici bono, quod ab honeſtate nũquam ſeiungitur facile perſuadetur. Namq; cum naturaliter mulceat, animum roboret, intellectum perficiat, verumq; ſimplicitate componat, ab exordio incipiens, vehementiſsime admiror, maximis altiora narrare. Si enim rerum omnium Ducem, & per hanc ſolam recte inſtituendi viam dari poſſe inuenimus, quis aliis ſcientiis, & doctrinis vacaret? Si Philoſophia tota frugifera, fructuoſa, & diſerta ſit, nec vlla eius pars inculta? O ſtudium ſapientiæ, & animi medicina, o bonum, & inuẽtum maximi, & optimi Dei. Quæ nos primum ad indiuiduæ Trinitatis cultum, tum ad modeſtiam, tum ad animi magnitudinem erudiſti, eademq; ab animo, tanquam ab oculis caliginem diſpuliſti, vt ſuprema omnia, infera prima, vltima, & média videremus. O virtutis indagatrix, & expultrix vitiorum, qua nullum bonum optabilius, nullum illuſtrius, atque florentius, neq; datum eſt mortalibus, ſuperorum conſenſu, ńeq; dabitur præſtantius. Hæc enim nos docuit cæteras res difficilimas, vt noſmetipſos noſceremus. Hæc vrbes peperit, hæc diſsipatos homines in vitæ ſocietatem reddidit, eoſq; a bellorũ calamitatibus redimens, in pacis tranquillitatem conuocauit. Hæc inuentrix legum, & diſciplinæ fuit. Hęc etiam infinitatem rerum, atq; naturæ, & eiuſdem omnes effectus fecit perfecte cognoſcere. Hęc, vt ait Cicero, eſt diuinarum, humanarumq;

rumque rerum ſcientia, & cognitio, ſola præſtans vitam ratione veram, tranquillam, & ſuauem. O aureum mentis dictum, o de pectore candidiſsimo lactei ſermonis alimoniam. Natura dat viuere, hæc ſcientia dat recte, & perfecte viuere, quod aliæ minime poſſunt. Naturalem quoque legem diuinam eſſe Philoſophia docet, eamque vim obtinere, recta imperantem, prohibentemque contraria. Quod non ex codice antiquorum iurium relatum eſt, ſed ex doctrina ingenuarum, humanarumque artium, non ſine bono, & pulchro emanauit. Iuris periti legibus exaratis a peccatis arcentur, Philoſophus rationem habet pro legibus, non ideo quod rectum eſt faciens, quia lex iuſsit, nec a ſcelere temperans, quia lex vetuit, ſed quoniam nouit illud per ſe rectum eſſe, hoc per ſe turpe, quod premeditari non eſt potentia iuris conſulti. Philoſophia ergo nobilis. Sed Philoſophiæ munere Theologia nobilior, qua nihil omnino affluentius cogitari poteſt. Si enim Philoſophia, qua Deus lege orbis terrarum opus gubernat, qua curſus aſtrorum, qua temporum mutationem, qua rerum viciſsitudines, cœlique ordines docet. Theologia qua ratione id agat Deus, quo numine, & qua mente, & quid de tali opere in ſe admittat, quomodo inceperit mundi primordia, & qua prouidentia adminiſtrat, exploratum habet. Philoſophia quid natura velit, quærat, & deſideret, declarat, Theologia qualis ſit deſiderij promptitudo, & petitionis effectus, vt rationi obediat, conſentaneum eſſe demonſtrat.

Philoſophia omnia animalia ſe diligere ex natura commendat, Theologia qua arte, & induſtria ſe diligant, & quid ſit premium dilectionis obſeruat. Philoſophia ex bonitate naturæ finem præmeditatur certitudinis, ſine cuius diſpoſitione, nemo putat

tat quemquam cęli fieri poſſe ciuem egregium. Theologia quoniam legibus inſtructis, quæ ſunt bono contraria prohibet, appetendo quædam, & fugiendo a quibuſdam, & quę bona ſunt ſequitur, & quæ meliora videntur rudimenta, & incunabula virtutis, quibus animorum intellectus ad æternæ gloriæ cupiditatem alantur, omnemque conſequendæ ſalutis, & honeſtatis rationem ſectatur. Philoſophia trahimur, & manuducimur ad cognitionis, & ſcientiæ veritatem, cui totius mundi nota eſt magnitudo. Thologia, qua excellere omnem pulchritudinem putamus, cognita perceptaque veritate fruimur, & fontem omnium ſcientiarum, puteumque aquarum viuentium perluſtramus, qua nihil ab optimo, & æterno genitore melius eſt procreatum, cui omnis animi ſapientia ſuffragatur. Philoſophia cœli natura cognoſcitur, atque iſtius naturæ inferioris ordo conſideratur. Theologia quicquid eſt æternitatis compos, & particeps, & quod omnem terræ ambitum, & cœli ſuperat altitudinem, indagatur. Illa naturalis gloriæ cupida, iſta cœleſtis amica. Illa nobilis, iſta nobiliſsima, illa grata, iſta gratiſsima. O mater, & moderatrix omnium rerum ſcibilium, qua nihil eſt vberius, quam ſi quis recte poſsidet, quia moderatione, & conſtantia pollet, cum ſit omni virtute ornatus, aliquo turbine iſtius vitæ tranſitoriæ extrinſecus irruente, vir temperatus efficitur. Hæc ſola virtus eſt, quæ menti cæteras virtutes inſerit, & alia ex aliis in ſuo proprio genere cognoſcere facit. His ergo ſcientiis, & doctrinis a teneris annis inſtructus, vera illa rerum cognitione denegata, quæ omnino tenebrarum caligine vacat, quoniam bona indole prædictis ſapientia delectari ſolet, quam gloria ſequitur, eius veſtigia tanquam

quam lumen inacceſsibile proſecutus, ſine quo nihil amabilius, nihil formoſius, nihil pulchrius ſingulare decus ingreditur: illum ſplendorem illam pulchritudinē, illamq; rerum conuenientiam adire præſumpſi, quibus iſta omnia recte, & ſapienter facta decernimus, vt huius tutelæ etiam principalia naturæ ſubiiciamus. Et cum ſit altiſsimis defixa radicibus, & omnia ſubter ſe habeat. Vos precor doctores conſcripti, atq; iterum deprecor, vt in eo virtutis loco me collocetis, in quo mea intelligendi ratio expetit, & ſempiterna animi præſtantia expoſtulat. Et ſi in me boni eſt aliquid, in bonum aſcribite, & veræ laudis ſcientiam amate. Et quod bonitati naturæ aliquando non diſſentit, nec meæ aliquando diſſentiet. Sicut in effectibus producendis natura non vtitur eodem ſtatu. Sic intellectus in rerum cognitione, non eandem habet vbertatem, nec dicendi facundiam, neq; conſeruandi domicilium, quibus hominem induere poſsit præſtantiorem. Sed quoniam natura impellimur, per argumenta naturę quod inſtat pro meis viribus aperiam.

Si quid eſt hic dictum, quod non ſit bene dictum, indictum volumus.

FINIS.